QVID VALEAT ὁμόνοια IN LITTERIS GRAECIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HANS KRAMER
CASSELLANVS.

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
MCMXV.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt P. Wendland et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est die XXI. mens. Dec. a. MCMXIV.

PARENTIBVS

S.

Argumentum.

Prooemium.

Quinto a. Chr. n. saeculo res publicas Graecas valde viguisse inter omnes constat. summum periculum, in quod tota Graecia Persarum bellis deducta est, magnis hostium cladibus sublatum est. civitates Graecae dehinc magis magisque creverunt; nova foedera inita et civiles res excultae sunt. unde consentaneum est nova etiam nomina rerum orta esse. itaque suo iure vir doctus Trieber[1]) voces ἐλευθερία, δουλεία, ὁμόνοια recenti tempore formatas esse ostendit. at ipse postea[2]) negavit vocem ὁμόνοια ante Platonem non inveniri, cum iam apud Thucydidem legeretur. sed hanc quoque opinionem corrigendam esse demonstrabimus. nos enim enucleare conabimur, quot et quales significationes voci ὁμόνοια attribuantur in litteris Graecis.

---

1) „Über d. Verfass. d. Lykurgfabel u. d. Lykurgorakel". Ber. d. frei. Deutsch. Hochstifts. 1889. 2. Heft, 3. Abt. f. Sprachwiss. p. 133 sq.

2) cf. E. Meyer, Forsch. I 239 „Seine (sc. Triebers) Angabe, ὁμόνοια sei sonst vor Plato nicht nachweisbar, ist, wie er mir mitteilt, nicht richtig. Es findet sich schon bei Thuc. VIII 75. 93 und bei Lysias".

I.

In carminibus Homericis neque vox ὁμόνοια neque voces eadem stirpe formatae usquam inveniuntur[1]). quod miremur, cum in his operibus saepius tales res describantur, ad quales illustrandas posterioribus temporibus scriptores maxime illa verba adhibent. quas ad notiones exprimendas a poetis Homericis formae verborum usurpantur, quae e stirpe ὁμοφρον- natae sunt. velut poeta X 261 sqq. ubi comparatione adumbrat, quo animo amici inter se teneantur, cuius familiaritatis propria apud Atticos scriptores semel atque iterum ὁμόνοια celebratur — ut infra cognoscemus —, Achillem his versibus pactum ab Hectore oblatum repudiantem inducit:

Ἕκτορ, μή μοι, ἄλαστε, συνημοσύνας ἀγόρευε.
ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν,
ὣς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι . . .

schol. Didymi locum explicat verbo ipso ὁμονοοῦσι.

simillima ratione positum idem adiectivum legimus hymn. Merc. 194 sq.

χαροποὶ δὲ κύνες κατόπισθεν ἕποντο
τέσσαρες, ἠύτε φῶτες, ὁμόφρονες.

et ibidem 391 sq.

ἀμφοτέρους δ' ἐκέλευσεν ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντας
ζητεύειν.

et hymn. Cer. 434 sqq.

ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσαι
πολλὰ μάλ' ἀλλήλων κραδίην καὶ θυμὸν ἴαινον
ἀμφαγαπαζόμεναι· ἀχέων δ' ἀπεπαύετο θυμός.

---

1) cf. H. Ebeling, Lexic. Homeric. vol. II (1880) p. 57. A. Gehring, Ind. Homeric. 1901. p. 600. id. Homeric. Append. (hymn.) 1895. p. 159.

atque substantivum ὁμοφροσύνη ο 196 sqq. quo loco Telemachus Nestoridam alloquitur:

ξεῖνοι δὲ διαμπερὲς εὐχόμεθ' εἶναι
ἐκ πατέρων φιλότητος, ἀτὰρ καὶ ὁμήλικές εἰμεν.
ἥδε δ' ὁδὸς καὶ μᾶλλον ὁμοφροσύνῃσιν ἐνήσει.

huc referendi sunt etiam vv. ι 456 sq. ubi Polyphemus caprum ut amicum alloquitur:

εἰ δὴ ὁμοφρονέοις ποτιφωνήεις τε γένοιο
εἰπεῖν, ὅππῃ κεῖνος ἐμὸν μένος ἠλασκάζει.

hoc loco ὁμοφρονεῖν valet consentire. quam vim etiam verbo ὁμονοεῖν attribui infra (p. 53 sq.) videbimus.

deinde illis vocibus significatur ea condicio qua felicitas matrimonii nititur, concordia coniugum. quam ut Nausicaae dent, Ulixes deos ita exorat ζ 180 sqq.:

σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς,
ἄνδρα τε καὶ οἶκον, καὶ ὁμοφροσύνην ὀπάσειαν
ἐσθλήν· οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
χάρματα δ' εὐμενέτῃσι, μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί [1]).

neque aliter apud Hesiodum res se habet. formae enim e stirpe ὁμονο- natae omnino non inveniuntur, a stirpe ὁμοφρον- derivatae nullo loco nisi Theog. 60 [2]):

ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κούρας ὁμόφρονας ᾗσιν ἀοιδὴ
μέμβλεται ἐν στήθεσσιν, ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσαις.

ubi poeta adiectivo ὁμόφρων eandem significationem attribuit atque poetae Homerici. cf. supra X 263; hymn. Merc. 194. 391; hymn. Cer. 434.

---

1) ἄκρως ἐξέθετο δι' ὧν εὐδαιμονεῖ οἶκος. schol. P(alatin.) Q (Ambros.).

2) cf. Ind. Hesiod. ap. Gaisford. Poet. min. Gr. vol. I p. 549. Ind. Hesiod. conf. I. Paulson. Lund. 1890. p. 64.

quas omnes significationes posterioribus temporibus verba stirpe ὁμονο- formata habent. quae cum ita sint, statuere licet Homericis temporibus et aetate Hesiodi haec verba nondum exstitisse. atqui considerandum est metrum hexametri nonnullas formas illorum verborum non admittere, in quibus tres deinceps breves syllabae occurrant. tamen et formis indicativis praeteritorum temporum verbi ὁμονοεῖν et substantivi ὁμόνοια formis, quae syllabam, quae ictum fert, subsequantur, uti poeta arte metrica non prohibetur.

sed quamvis quodam modo difficile sit illa verba in versu hexametro ponere, non hac de causa sola in copia verborum antiquissimorum epicorum desiderantur. quod meo quidem iudicio ex eo elucet, quod ne in aliorum quidem metrorum carminibus legimus.

nam poetas lyricos Graecos[1]) septimi et sexti a. Chr. n. saeculorum perscrutanti mihi nusquam[2]) occurrerunt.

---

1) edit. Th. Bergk, 1882⁴. R. Reitzenstein, Inedita poet. Gr. fragm. 1890/92. R. Reitzenstein, 2 neue Fragm. d. Epod. des Archiloch. S. A. B. 1899. — Ox. Pap. (ed. Grenfell-Hunt) vol. I (1898) p. 10 sqq. vol. IV (1904) p. 51 sqq. vol. VI (1908) p. 150 sqq. vol. X (1914) p. 20 sqq.

2) neque huic opinioni repugnat, quod in collectione sententiarum quae inscribitur Φωκυλίδου γνῶμαι (Bergk. l. c. II p. 81 sqq.) v. 29—30 quidem legimus

ὧν τοι ἔδωκε θεός, τούτων χρῄζουσι παράσχου.
ἔστω κοινὸς ἅπας ὁ βίος καὶ ὁμόφρονα πάντα.

sed v. 70 sqq.

μὴ φθονέοις ἀγαθῶν ἑτάροις, μὴ μῶμον ἀνάψῃς.
ἄφθονοι Οὐρανίδαι καὶ ἐν ἀλλήλοις τελέθουσιν.
οὐ φθονέει μήνη πολὺ κρείσσοσιν ἡλίου αὐγαῖς.
οὐ χθὼν οὐρανίοις ὑψώμασι νέρθεν ἐοῦσα.
οὐ ποταμοὶ πελάγεσσιν· ἀεὶ δ' ὁμόνοιαν ἔχουσιν.
εἰ γὰρ ἔρις μακάρεσσιν ἐνῆν, οὐδ' ἂν πόλος ἔστη.

nam hos versus Phocylidis ipsius esse credi non potest. A. Ludwich

neque Pindarus praebet nisi uno loco [1]) adiectivum ὁμόφρων, ubi ad concordiam coniugum referendum est. Ol. VII 6:

ἐν δὲ φίλων
παρεόντων θῆκε νιν ζαλωτὸν ὁμόφρονος εὐνᾶς.

frustra in trium illorum poetarum tragicorum Atticorum [2]) fabulis verba e stirpe ὁμονο- et ὁμοφρον- orta indagamus. quod eo magis mirandum est, quod

---

(Üb. d. Spruchbuch des falsch. Phokylid. Ind. lect. Regimont. 1904. p. 1) plane negat quicquam genuinum esse. nam totum corpus non ante primum saeculum p. Chr. n. ortum est. cf. M. Rossbroich, De Ps.-Phocylideis. Diss. Münst. 1910. p. 16 sq.

id autem observemus, quod hoc loco qui tam recenti tempore compositus videtur esse, vocem ὁμόνοια in versu positam videmus. cf. infra p. 29², 47, 48².

atque duobus locis collectionis carminum Theognideorum adiectivo ὁμόφρων eadem atque in Hom. hymn. (cf. supra p. 8) vis attribuitur. v. 81:

οἵ τινες (sc. ἑταῖροι) ἂν τολμῷεν ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες.

et v. 765 sqq.

ὧδ' εἴη κεν ἄμεινον· ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντας
νόσφι μεριμνάων εὐφροσύνως διάγειν
τερπομένους.

quae carminum collectio c. a. 400 a. Chr. n. orta videtur esse. cf. R. Reitzenstein, Epigr. u. Skol. 52—86. U. de Wilamowitz, Textgesch. d. gr. Lyrik. 58. id. Sappho u. Simonid. 270. nescio an versus quos attulimus Theognidi ipsi attribuendi sint.

1) cf. Lexic. Pind. ed. J. Rumpel. 1883. Pind. carm. vol. III 2 (indices) ed. R. Fiorillo, in edit. Heyne 1817. Ind. vocabul. in Pindari carm. ed. Boeckh. II 2 (1821).

2) cf. Dindorf, Lexic. Aesch. 1876. Beatson, Ind. Graecit. Aesch. 1830. Dindorf, Lexic. Soph. 1870. Ellendt-Genthe, Lexic. Soph. 1872². Beatson, Ind. Graecit. Soph. 1830. Ch. D. Beck, Ind. verbor. formularumque omn. in Eurip. trag. integr. et deperdit. fragm. nec non epist. occurrentium. 1821. Ch. D. Beck, Ind. Graecit. Eurip. 1829. praeterea „Tragicor. Graec. fragm. papyr. nuper reperta“ (ed. Hunt) perlegi.

metra in illis vocibus adhibendis difficultates non movent [1]).

neque Aristophanes [2]) in comoediis suis illa verba adhibet neque ceteri poetae comici [3]) aequales.

ne Herodotus [4]) quidem vocabulum ὁμόνοια similiaque [5]) praebet, quamquam per totum opus Herodotus id spectat, ut doceat, quantopere gentes Graecae differant a barbaris et qua virtute nationes occidentales omnibus viribus coniunctis libertatem suam defenderint ab orientalibus. quae occasio verbi ὁμόνοια adhibendi melior dari potest hac?

---

1) adnotatione dignum esse mihi videtur apud Aeschylum semel (Agam. 158) adiectivum ὁμόφωνος, apud Sophoclem semel (Phil. 980), apud Euripidem bis (Iph. Aul. 1142. frg. 265 N.) verbum ὁμολογεῖν inveniri. unde apparet voces praepositione ὁμο- compositas poetis tragicis ignotas non fuisse.

2) cf. Ind. Aristoph. ed. Ioannes Caravella e cod. Bodl. Oxon. 1882. A complete concord. to the comed. and fragm. of Aristoph. ed. Dunbar. Oxon. 1883.

3) Comicae dict. index ed. H. Jacoby ap. Meineke Fragm. com. Gr. V.

apud Aristophanem multo saepius quam apud poetas tragicos Atticos voces praepositione ὁμο- compositas legimus. ut exempla afferam ὁμόγνιος, ὁμοθυμαδόν, ὅμοιος, ὁμολογεῖν, ὁμομαστιγίας, ὁμομητρία, ὁμόπτερος, ὁμορροθῶ, ὁμόσε, ὁμότροφος, ὁμόφρων.

4) totum opus Herodoteum ipse perlustravi.

5) vocabula quidem praepositione ὁμο- composita ab Herodoto aliena non sunt, sed saepissime inveniuntur. nam haec verba scripta videmus:

ὁμολογεῖν I 23. 142, 4. II 4, 1. 18, 2. 86, 3. IV 154, 1. V 75, 3. 87, 1. VI 33, 3. 52, 1. 54, 1. VIII 108, 3. 140 β, 3. 141, 1. 143, 1. 2. 144, 3. IX 7 α, 2. 7 β, 1. 13, 1. 88,1. ὁμολογίη IV 116, 2. 201, 2. VII 139, 4. VIII 52, 2. 94, 4. 141, 1. 2. ὁμοφρονεῖν VII 229, 1. VIII 3, 1. 75. 3. praeterea voces ὅμαιμων, ὁμαιχμίη, ὁμόγλωσσοι, ὁμοεθνής, ὁμήλικες, ὁμομήτριος, ὁμόσπονδος, ὁμότεχνος, ὁμοτράπεζος, ὁμότροπος, ὁμουρέω, ὅμουρος, ὁμοχροίη, ὁμόψηφος.

ex eis quae iam exposuimus apparet usque ad medium quintum a. Chr. n. saeculum voces stirpe ὁμονο- formatas in libris qui nobis traditi sunt non exstare. sophistae primi in scriptis suis quae ad res morales atque publicas pertinent illa verba videntur memoriae tradidisse. quod nimis non miramur. nam hi novi sapientiae professores disserebant, quem ad finem homines nascerentur, quae officia in cives civitatemque praestanda essent, quibus seu naturae seu morum vinculis coercerentur. tales imprimis quaestiones illo tempore tractabantur [1]. sed non modo doctrinam sophistae inter discipulos propagabant, sed etiam ad vitam referebant [2]. omnibus artibus cum eruditi essent, docebant et qua ratione res domesticae optime administrarentur, et quibus fundamentis res publica bene gerenda niteretur, quae et quanta pericula saluti publicae saepe impenderent, quibus auxiliis evitarentur [3]. imprimis de eiusmodi rebus ut cogitaret, incitabatur, qui videret, quo in tumultu res civiles complurium urbium sub finem quinti a. Chr. n. saeculi versarentur. exemplum ut afferam, Athenis praetermissis certamina factionum quibus Epidamnus

---

1) cf. R. Schöll, D. Anfänge einer polit. Literat. bei d. Griechen. Münch. 1890. p. 13 sqq. H. Henkel, Stud. z. Gesch. d. gr. Lehre v. Staat. Leipz. 1872. p. 121 sqq.

2) cf. E. Zeller, Gesch. d. gr. Philos. I 2, 1041 sq. Th. Gomperz, Gr. Denk. I 331 sqq. 350 sqq. Überweg-Praechter, Grundr. d. Gesch. d. Philos. d. Altert. 1909^{10}. p. 82 sq.

3) Plato Protagoram in dialogo, qui nomine eiusdem sophistae inscribitur, dicentem facit p. 318 e: τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὐτοῦ οἰκίαν, διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν. similes sententiae inveniuntur Plat. Men. p. 91 a. Plut. Themist. II 4. cf. M. Pohlenz, Aus Platos Werdezeit. 1913. p. 77 sqq.

per multos annos vexabatur[1]) in memoriam revoco, quae tota in Graecia plurimum valuisse inter omnes constat. itaque facile intellectu est eo tempore viros mentis sanae sapientisque, ut talia pericula arcerent, civibus persuasisse, ut concordes inter se essent. atque ea ex origine vox ὁμόνοια quasi fax et tuba orta esse mihi videtur eorum qui diversas factiones inter se conciliare studebant. nobis autem haec vox in sophistarum scriptis, ut supra diximus, primis occurrit.

II a, α.

In scriptis eiusmodi numerandus est libellus qui περὶ ὁμονοίας inscribitur, qui Antiphontis sub nomine compluribus locis laudatur[2]). sophistae quin sit, nemo iam est, qui in dubium vocet. sed quid argumentum eius sit, viri docti usque ad hoc tempus inter se dissentiunt. Fridericus Blass[3]) plane negat concordiam civilem hoc opere tractari, sed communem potius de vita recte agenda opinionem omnium hominum eo contineri dicit ita ut ethica Antiphontis doctrina explicetur. quocum consentit Th. Gomperz[4]). Blassi opinionem secutus Guilelmus Altwegg[5]) titulo scripti significari

---

1) cf. Thuc. I 24, 4: στασιάσαντες (sc. οἱ Ἐπιδάμνιοι) δὲ ἐν ἀλλήλοις ἔτη πολλά, ὡς λέγεται, ἀπὸ πολέμου τινὸς τῶν προσοίκων βαρβάρων ἐφθάρησαν καὶ τῆς δυνάμεως τῆς πολλῆς ἐστερήθησαν.

2) cf. H. Diels, Vorsocrat. II³ frg. 44a—71.

3) Att. Bereds. I² (1887) p. 111. III 2² (1898) p. 359 sqq.

4) Gr. Denk. I² (1901) p. 349.

5) De Antiphonte qui dicitur sophista quaestionum part. I. De libro π. ὁμονοίας scripto. Diss. Basil. 1908. p. 59: „equidem spectari puto titulo nil nisi ὁμόνοιαν illam quae secum ipsi habenda sit homini, quamvis huius vocis notionis apud veteriores (!), quotquot exstant, Graecos exemplum invenire non potuerim“. cf. Th. Thalheim, Berl. Phil. Woch. 29 (1909). p. 934. item assentitur C. Toepfer, D. sogen. Fragm. des Sophist. Antiph. bei Jambl. Progr. Arnau. 1902. p. 46 sq.

contendit hominis cum se ipso consensum. contra J. Kaerst[1]), U. de Wilamowitz[2]), Edgarus Jacoby[3]), Guilelmus Nestle[4]) ad concordiam civium rei publicae referunt[5]). quae interpretatio mihi videtur esse recta. Antiphon igitur hoc libello Athenienses adhortatur, ut cives omnium ordinum concordes sint, opibus suis inter se sustentent. quem ad finem eis persuadere studet omnium interesse rem publicam tumultibus non pertubari, ut vita tam brevi iucunde frui possint[6]).

argumentum autem illud Antiphonteum illa aetate saepius tractatum videtur esse[7]).

---

1) Gesch. d. hellenist. Zeitalt. I (1901) p. 43. K. titulum vertit verbo „Über den Gemeinsinn".

2) Arist. u. Ath. I 173.

3) De Antiph. sophist. π. ὁμονοίας libro. Diss. Berol. 1908. cf. Th. Thalheim. Berl. Phil. Woch. 28 (1908) p. 1396.

4) Spuren der Sophistik bei Isocrates. Philol. 70 (1911) p. 45 sqq.

5) H. Sauppe, (De Antiph. sophista. Götting. 1868. Kl. Schrift. p. 508 sqq.) qui primus in librum accuratissime inquisivit, ita iudicat (p. 521): „de argumento certius iudicari non potest quamquam etiamnunc verisimile mihi id videtur esse quod olim conieci, concordiam et veram amicitiam, quippe qua rerum publicarum privatarumque salus contineretur, a sophista commendatam esse".

6) paulo accuratius de Antiphontis περὶ ὁμονοίας libro in excursu p. 54—59 agemus.

7) primum ὁμόνοιαν commendasse Heraclitum dici invenimus. Plut. de garr. 17 p. 511 hanc fabellam narrat. οἱ δὲ συμβολικῶς ἄνευ φωνῆς ἃ δεῖ φράζοντες οὐκ ἐπαινοῦνται καὶ θαυμάζονται διαφερόντως· ὡς Ἡράκλειτος ἀξιούντων αὐτὸν τῶν πολιτῶν γνώμην τιν' εἰπεῖν περὶ ὁμονοίας, ἀναβὰς ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ λαβὼν ψυχροῦ κύλικα καὶ τῶν ἀλφίτων ἐπιπάσας καὶ τῷ γλήχωνι κινήσας ἐκπιὼν ἀπῆλθεν, ἐπιδειξάμενος αὐτοῖς, ὅτι τὸ τοῖς τυχοῦσι ἀρκεῖσθαι καὶ μὴ δεῖσθαι τῶν πολυτελῶν ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ διατηρεῖ τὰς πόλεις. quam narratiunculam Plutarchus recte intellexisse non videtur. cf. F. Schleiermacher, Heraklit. d. dunkle, von Ephesos. Werke 3. Abt. II. vol. (1838) p. 82. potius enim Ephesiis, cum a Persis obsessi victu carere inciperent, Heraclitus suasit, ut luxuriose vivere desinerent et parvo

eisdem atque Antiphon de causis Democritus[1]) postulat, ut divites homines divitiis suis ita utantur, ut ad civium classes opibus diversas inter se conciliandas valeant. quod fit — ut dicit —, cum eis qui carent pecuniam mutuam dant. qua in re constituitur concordia civitatis. cf. frg. 255 D. ὅταν οἱ δυνάμενοι τοῖς μὴ ἔχουσι καὶ προτελεῖν τολμέωσι καὶ ὑπουργεῖν καὶ χαρίζεσθαι, ἐν τούτῳ ἤδη καὶ τὸ οἰκτίρειν ἔνεστι καὶ μὴ ἐρήμους εἶναι καὶ τὸ ἑταίρους γίνεσθαι καὶ τὸ ἀμύνειν ἀλλήλοισι καὶ τοὺς πολιήτας ὁμονόους εἶναι καὶ ἄλλα ἀγαθά, ὅσσα οὐδεὶς ἂν δύναιτο καταλέξειν.

quodsi concordia intra civitatem servatur, civitates in rebus gerendis aliquid praestare possunt. cf. frg. 250 D. ἀπὸ ὁμονοίας τὰ μεγάλα ἔργα καὶ ταῖς πόλεσι τοὺς πολέμους δυνατὸν κατεργάζεσθαι, ἄλλως δ' οὔ.

qua de causa philosophus monet, ut discordia vitetur, qua nihil rei publicae magis periculosum sit. cf. frg. 249 D. στάσις ἐμφύλιος ἐς ἑκάτερα κακόν· καὶ γὰρ νικέουσι καὶ ἡσσωμένοις ὁμοίη φθορή.

Democritus igitur verba ὁμόνοια atque ὁμονοεῖν ad societatem civium rei publicae refert. cui statui opponit tumultum, quem voce στάσις significat. quas res opponi saepius invenimus.

neque alia ac Democritus ratione Archytas[2]) concordiam tractat, qui Pythagoreus non minus scientia

---

contenti essent. quod Themistius π. ἀρετ. tradit neque ὁμονοίας optimo iure mentionem facit. cf. Themist. π. ἀρετ. Bearbeit. von J. Gildemeister u. F. Bücheler. Rh. M. 27 (1877) p. 476[1]. H. Diels, Vors. I[3] p. 71 narratiunculam fictam et ex aliis fragmentis Heracliteis sumptam esse putat. quidquid id est, in hac disputatione rationem illius fabellae habere non debemus.

1) J. Kaerst, l. c. p. 44 Democritum in hac doctrina Protagoram secutum esse contendit.

2) cf. H. Diels, l. c. p. 336 frg. 3, 9 sqq. Ed. Zeller l. c. I 1[5], 341.

rei militaris quam rei publicae gerendae praestitisse dicitur. suadet autem, ut cives communis utilitatis causa inter se auxilientur. στάσιν μὲν ἔπαυσεν, ὁμόνοιαν δὲ αὔξησεν λογισμὸς εὑρεθείς. πλεονεξία τε γὰρ οὐκ ἔστι τούτου γενομένου καὶ ἰσότας ἔστιν[1]). τούτῳ γὰρ περὶ τῶν συναλλαγμάτων διαλλασσόμεθα. διὰ τοῦτον οὖν οἱ πένητες λαμβάνοντι παρὰ τῶν δυναμένων, οἵ τε πλούσιοι διδόντι τοῖς δεομένοις, πιστεύοντες ἀμφότεροι διὰ τούτω τὸ ἶσον ἕξειν. κανὼν δὲ καὶ κωλυτὴρ τῶν ἀδικούντων ⟨ἐὼν⟩ τοὺς μὲν ἐπισταμένους λογίζεσθαι πρὶν ἀδικεῖν ἔπαυσε, πείσας ὅτι οὐ δυνασοῦνται λαθεῖν, ὅταν ἐπ᾽ αὐτὸν ἔλθωντι· τοὺς δὲ μὴ ἐπισταμένους, ἐν αὐτῷ δηλώσας ἀδικοῦντας ἐκώλυσεν ἀδικῆσαι. quo ex fragmento elucet Archytam ὁμόνοιαν quasi fundamentum esse censere, in quo res publica constituenda sit, si modo perfecta esse velit. cui στάσιν opponit.

similiter etiam Socrates Xenophonte auctore iudicavit. Pericles enim filius colloquens cum Socrate interrogat (Mem. III 5, 14): τί ἂν ποιοῦντες ἀναλάβοιεν τὴν ἀρχαίαν ἀρετήν; deinde vitiis Atheniensium indignatus id quoque quaerit (§ 16): ἢ πότε οὕτως ὁμονοήσουσιν (sc. Ἀθηναῖοι cf. § 15), οἵ γε ἀντὶ μὲν τοῦ συνεργεῖν ἑαυτοῖς τὰ συμφέροντα ἐπηρεάζουσιν ἀλλήλοις καὶ φθονοῦσιν ἑαυτοῖς μᾶλλον ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, μάλιστα δὲ πάντων ἔν τε ταῖς ἰδίαις συνόδοις καὶ ταῖς κοιναῖς διαφέρονται καὶ πλείστας δίκας ἀλλήλοις δικάζονται καὶ προαιροῦνται μᾶλλον οὕτω κερδαίνειν ἀπ᾽ ἀλλήλων ἢ συνωφελοῦντες αὑτούς, τοῖς δὲ κοινοῖς, ὥσπερ ἀλλοτρίοις χρώμενοι περὶ τούτων αὖ μάχονται καὶ ταῖς εἰς τὰ τοιαῦτα δυνάμεσι μάλιστα χαίρουσιν; Pericles igitur aegre fert Athenienses inter se insectari malle quam auxiliari. eum autem statum rei publicae quem flagitat voce ὁμόνοια significat, itaque eandem vim voci

1) eadem significatione usurpata est vox ὁμόνοια ab eis scriptoribus qui de re publica Lacedaemoniorum instituta vel restituenda narrant. cf. infra p. 31 sqq.

ὁμόνοια attribuit atque illi philosophi quos supra commemoravimus.

atque altero loco Xenophon[1]) Socratem cum Euthydemo colloquentem inducit haec: τί ἐστιν ἔργον ἀγαθοῦ πολίτου; in officiis autem boni civis ὁμόνοιαν numerat. οὐκοῦν καὶ ἐν δημηγορίᾳ (sc. κρατοίη ἂν) ὁ στάσεις τε παύων καὶ ὁμόνοιαν ἐμποιῶν; ἔμοιγε δοκεῖ. quo loco voci ὁμόνοια vocem στάσις opponit. στάσις autem significat tumultum internum rei publicae[2]). ergo vox ὁμόνοια ad concorditer vivendum referenda est.

neque parvi momenti est ὁμόνοια in colloquio inter Socratem et Hippiam sophistam habito. Socrates[3]) civium in leges oboedientiam laudat. nam concordiam civium summum bonum rei publicae esse: ἀλλὰ μὴν καὶ ὁμόνοιά γε μέγιστον ἀγαθὸν δοκεῖ ταῖς πόλεσιν εἶναι καὶ πλειστάκις ἐν αὐταῖς αἵ τε γερουσίαι καὶ οἱ ἄριστοι ἄνδρες παρακελεύονται τοῖς πολίταις ὁμονοεῖν, καὶ πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν, καὶ πανταχοῦ ὀμνύουσι τὸν ὅρκον τοῦτον. οἶμαι δ' ἐγὼ ταῦτα γίγνεσθαι οὐχ ὅπως τοὺς αὐτοὺς χοροὺς κρίνωσιν οἱ πολῖται, οὐδ' ὅπως τοὺς αὐτοὺς αὐλητὰς ἐπαινῶσιν οὐδ' ὅπως τοὺς αὐτοὺς ποιητὰς αἱρῶνται, οὐδ' ἵνα τοῖς αὐτοῖς ἥδωνται, ἀλλ' ἵνα τοῖς νόμοις πείθωνται. τούτοις γὰρ τῶν πολιτῶν ἐμμενόντων, αἱ πόλεις ἰσχυρόταταί τε καὶ εὐδαιμονέσταται γίγνονται· ἄνευ δὲ ὁμονοίας οὔτ' ἂν πόλεις εὖ πολιτευθείη οὔτ' οἶκος καλῶς οἰκηθείη.

his in verbis voces ὁμόνοια et ὁμονοεῖν ad concordiam civium pertinent, quae servatur, si cives legibus parent.

eis locis quos modo attulimus vox ὁμόνοια in uni-

1) Mem. IV 6, 14.

2) haec vis vocis στάσις saepius apud Xenophontem invenitur. ad perturbationes quidem rei publicae Atheniensium quae intra a. 403—401 fiebant Xenophon in initio libri III. historiae Graecae refert: Ἡ μὲν δὴ Ἀθήνησι στάσις οὕτως ἐτελεύτησεν. similiter usurpatur verbum στασιάζειν. cf. Xen. Hell. V 4, 55. VI 1, 2. VII 3, 4.

3) Xen. Mem. IV 4, 16.

versum ad res civiles refertur. in factionum autem certaminibus, quibus res publica Atheniensium inde ab a. 411 perturbata est, vis vocis magis contrahitur. quod nunc explicare conemur.

cum a. 411 Athenis pauci rerum potiti essent, cives qui in classe quae ante Samum insulam erat stipendia faciebant vehementer sollicitati sunt. atque Thrasybulus et Thrasyllus duces creati omnes quibus praeerant cives in democratiam, qualis a maioribus constituta esset, iurare iusserunt. qua de re Thucydides (VIII 75) hoc tradit: ὅ τε Θρασύβουλος ὁ τοῦ Λύκου καὶ Θράσυλος . . . ὥρκωσαν πάντας τοὺς στρατιώτας τοὺς μεγίστους ὅρκους καὶ αὐτοὺς τοὺς ἐκ τῆς ὀλιγαρχίας μάλιστα ἦ μὴν δημοκρατήσεσθαί τε καὶ ὁμονοήσειν καὶ τὸν πρὸς Πελοποννησίους πόλεμον προθύμως διοίσειν, καὶ τοῖς τετρακοσίοις πολέμιοί τε ἔσεσθαι καὶ οὐδὲν ἐπικηρυκεύσεσθαι.

neque vero in his verbis neglegamus etiam eos qui ab oligarchis steterant cum eis qui democratiae studebant iure iurando coniunctos esse. quam ad concordiam diversarum factionum conciliandam vox ὁμόνοια refertur.

Athenis autem ipsis eodem fere tempore pedites gravis armaturae qui Eetioneam muris circumdabant munitionem iam perfectam resciderunt, cum timerent, ne quadringenti viri hac munitione hostes reciperent. vix Therameni contigit, ut animos militum indignatorum placaret. muris plane rescissis ex Piraeo in urbem ascenderunt et reliquis qui hic remanserant se aggregaverunt. denique cum quadringenti se nomina illorum quinque milium qui civitatis participes essent, promulgaturos esse polliciti essent, salutis publicae gratia omnes partes inter se reconciliatae sunt. quam pacem Thucydides (VIII 93, 3) iterum ὁμόνοιαν dicit[1]): τὸ δὲ πᾶν πλῆθος τῶν ὁπλιτῶν, ἀπὸ πολλῶν καὶ πρὸς πολλοὺς λόγων

1) cf. p. 27 sq.

γιγνομένων, ἠπιώτερον ἦν ἢ πρότερον καὶ ἐφοβεῖτο μάλιστα περὶ τοῦ παντὸς πολιτικοῦ. ξυνεχώρησάν τε ὥστ' ἐς ἡμέραν ῥητὴν ἐκκλησίαν ποιῆσαι ἐν τῷ Διονυσίῳ περὶ ὁμονοίας.

eandem vim voci ὁμόνοια attribuit Thrasymachus[1]. quem artis dicendi magistrum priusquam Gorgias Athenas advenisset i. e. a. 427 notum fuisse probat Aristophanes qui in Daetalensibus quae comoedia a. 427 acta est ei illudit (cf. frg. 198 K.). cum omnium aliarum artium peritus erat, tum rei publicae deditus erat[2]. itaque oratione quadam deliberativa[3] quam iuvenem in contione habentem facit[4], eam rem tractavit de qua c. a. 411 partes Athenienses vehementer decertabant: quid valeret ἡ πάτριος πολιτεία[5]. Thrasymachus autem oratione id spectavit, ut factiones inter se reconciliaret. monuit enim cives, quo temeritatis progressi essent, in quantam calamitatem res publica pervenisset: ἅλις γὰρ ἡμῖν ὁ παρελθὼν χρόνος καὶ ἀντὶ μὲν εἰρήνης ἐν πολέμῳ γενέσθαι καὶ διὰ κινδύνων ⟨ἐλθεῖν D.⟩ εἰς τόνδε τὸν χρόνον, τὴν μὲν παρελθοῦσαν ἡμέραν ἀγαπῶσι, τὴν δ' ἐπιοῦσαν δεδιόσι, ἀντὶ δ' ὁμονοίας εἰς ἔχθραν καὶ ταραχὰς πρὸς ἀλλήλους ἀφικέσθαι.

utramque partem idem fere velle, sed alteram alteram non intellegere, quamquam quae sit ἡ πάτριος πολιτεία, facile intellectu sit, sophista docere et hoc modo

1) cf. E. Schwartz, De Thrasymacho Chalcedonio. Ind. schol. Rost. 1892. F. Blass, Att. Bereds. I² 244 sqq.

2) non rhetorem appellari deberi, potius sophistam U. de Wilamowitz, Arist. u. Ath. I 173 ann. 76 docuit. assentitur E. Schwartz, l. c. p. 15.

3) Suidas teste Thrasymacho scripsit Θρασύμαχος Χαλκηδόνιος σοφιστὴς τῆς ἐν Βιθυνίᾳ Χαλκηδόνος ... ἔγραψε συμβουλευτικούς, τέχνην ῥητορικήν ...

4) traditur a Dion. Hal. Demosth. 3. cf. H. Diels l. c. II³ 278.

5) cf. G. Busolt, Gr. Gesch. III 2, 1459. E. Meyer, Gesch. d. Alt. IV 577.

factionum concordiam restituere parat. quod significat voce ὁμόνοια.

anno 404 iterum pauci rem publicam in dicionem suam redegerant, populares autem resistebant. qua de causa percipi potest fuisse, qui id spectarent, ut controversias factionum componerent. quae concordia civitatis eodem modo atque antea ὁμόνοια dicitur.

Pausania rege Lacedaemoniorum auctore qui Lysandri loco viri honorum cupidissimi exercitui qui in Attica erat praefectus erat, a. 403 Atheniensium factiones, urbanos (τοὺς ἐν τῷ ἄστει) et Piraeenses (τοὺς ἐν Πειραιεῖ), reconciliatas esse constat.

qua de re Xenophon[1]) hoc narrat: ἀκούσαντες δὲ πάντων αὐτῶν οἱ ἔφοροι καὶ οἱ ἔκκλητοι, ἐξέπεμψαν πεντεκαίδεκα ἄνδρας εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ ἐπέταξαν σὺν Παυσανίᾳ διαλλάξαι ὅπῃ δύναιντο κάλλιστα. οἱ δὲ διήλλαξαν ἐφ' ᾧτε εἰρήνην μὲν ἔχειν ὡς πρὸς ἀλλήλους, ἀπιέναι δὲ ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστον πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν ἐν Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα. εἰ δέ τινες φοβοῖντο τῶν ἐξ ἄστεως, ἔδοξεν αὐτοῖς Ἐλευσῖνα κατοικεῖν.

quibus rebus perfectis Pausanias exercitum dimisit. Athenienses autem exsules urbem intraverunt et in arcem ascenderunt, ut Minervae sacra facerent. deinde Thrasybulus in contione orationem habuisse dicitur[2]), qua adhortabatur urbanos, ut modestia uterentur, exsules reversos, ut pacem servarent.

quae pactione statuta sint, Xenophon quidem accuratius non tradit, ut supra vidimus. tamen bene evenit, quod Aristoteles in libro Ἀθηναίων πολιτεία (c. 39, 6. K.) qui inscribitur singulas pactionis condiciones enumerat. in quibus etiam amnestiam fuisse cognovimus. cum hoc decretum ad eam quaestionem quam tractamus multum valeat, hoc loco exscribamus.

1) Hell. II 4, 38. cf. etiam Diod. XIV 33, 6.
2) Xenoph. l. c. § 39—40.

τῶν δὲ παρεληλυθότων μηδενὶ πρὸς μηδένα μνησικακεῖν ἐξεῖναι πλὴν πρὸς τοὺς τριάκοντα καὶ τοὺς δέκα καὶ τοὺς ἕνδεκα καὶ τοὺς τοῦ Πειραιέως ἄρξαντας, μηδὲ πρὸς τούτους, ἐὰν διδῶσιν εὐθύνας· εὐθύνας δὲ δοῦναι τοὺς μὲν ἐν Πειραιεῖ ἄρξαντας ἐν τοῖς ἐν Πειραιεῖ, τοὺς δ' ἐν τῷ ἄστει ἐν τοῖς τὰ τιμήματα παρεχομένοις. εἶθ' οὕτως ἐξοικεῖν τοὺς ἐθέλοντας. τὰ δὲ χρήματα ἃ ἐδανείσαντο εἰς τὸν πόλεμον ἑκατέρους ἀποδοῦναι χωρίς.

atqui in his verbis vox ὁμόνοια non invenitur. sed in capite quod sequitur Aristoteles ex eis quae post triginta viros expulsos Athenis fiebant id potissimum effert, quod civitas Atheniensium restituta decrevit, ut totus populus eam pecuniae vim, quam triginta viri a Lacedaemoniis mutuam accepissent[1]), communiter solveret, quamquam illa pactione statutum erat, ut suam quaeque factio[2]) pecuniam dissolveret. hoc autem summum indicium civium inter se reconciliatorum fuisse contendit[3]) (c. 40, 2 sq.): ἀλλὰ δοκοῦσιν κάλλιστα δὴ καὶ πολιτικώτατα ἁπάντων καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ χρήσασθαι ταῖς προγεγενημέναις συμφοραῖς· οὐ γὰρ μόνον τὰς περὶ τῶν προτέρων αἰτίας ἐξήλειψαν, ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα Λακεδαιμονίοις, ἃ οἱ τριάκοντα πρὸς τὸν πόλεμον ἔλαβον, ἀπέδοσαν κοινῇ, κελευουσῶν τῶν συνθηκῶν ἑκατέρους ἀποδιδόναι χωρίς, τούς τ' ἐκ τοῦ ἄστεως καὶ τοὺς ἐκ τοῦ Πειραιέως, ἡγούμενοι τοῦτο πρῶτον ἄρχειν δεῖν τῆς ὁμονοίας.

eandem factionum reconciliationem eadem voce significat Andocides. cui amnestia, quae in illa pactione inerat, permissum erat, ut in patriam rediret. sed paulo

---

1) cf. etiam Xenoph. Hell. II 4, 28.

2) etiam Piraeenses versuram fecisse apparet ex Demosth. c. Lept. (XX) 149.

3) Isocr. Areopag. (VII) 68 sq. et Demosth. c. Lept. (XX) 12 hoc factum in memoriam civium revocant et exemplum concordiae esse ostendunt dignum, quod eo tempore imitentur. uterque scriptor his locis verba ὁμόνοια et ὁμονοεῖν adhibet.

post reversus indicium de mysteriis violatis subiit. quam accusationem propulsare studuit oratione illa quae περὶ τῶν μυστηρίων inscribitur. imprimis sui defendendi causa amnestiam illam affert. quae statuta sint, ex Aristotelis libro novimus (cf. p. 22). praeterea amnestiam iureiurando sanctam esse apparet ex Andocid. l. c. § 90: φέρε δὴ τοίνυν, οἱ ὅρκοι ὑμῖν πῶς ἔχουσιν; ὁ μὲν κοινὸς τῇ πόλει ἁπάσῃ, ὃν ὀμωμόκατε πάντες μετὰ τὰς διαλλαγάς. quae verba formulae porro Andocides affert ad ea bene quadrant, quae Aristoteles l. c. tradit. neque in formula quidem quam Andocides servavit verba aut ὁμόνοια aut ὁμονοεῖν inveniuntur.

attamen duobus locis qui sequuntur, ubi Andocides narrat, quae post tyrannos expulsos facta sint, verba ὁμόνοια et ὁμονοεῖν praebet. in § 106 Athenienses laudat, quod in gratiam inter se redeant: ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὦ ἄνδρες, ὅτι τὰ πεποιημένα ὑμῖν εἰς ὁ μ ό ν ο ι α ν οὐ κακῶς ἔχει, ἀλλὰ τὰ προσήκοντα καὶ τὰ συμφέροντα ὑμῖν αὐτοῖς ἐποιήσατε, βραχέα βούλομαι καὶ περὶ τούτων εἰπεῖν. vix maioribus Athenienses qui nunc sint virtute cedere. (§ 109): τί οὖν ὑπόλοιπόν ἐστι τῆς ἐκείνων (sc. τῶν πατέρων τῶν ὑμετέρων) ἀρετῆς; μὴ μνησικακῆσαι εἰδότας, ὦ ἄνδρες, ὅτι ἡ πόλις ἐκ πολὺ ἐλάττονος ἀφορμῆς ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ μεγάλη καὶ εὐδαίμων ἐγένετο· ἃ ⟨καὶ⟩ νῦν αὐτῇ ὑπάρχει, εἰ ἐθέλοιμεν οἱ πολῖται σωφρονεῖν τε καὶ ὁ μ ο ν ο ε ῖ ν ἀλλήλοις.

utroque loco verbum ὁμόνοια vel ὁμονοεῖν ad pacem factionum restitutam spectat.

accedit quod Andocides eadem in oratione aliarum amnestiarum quas Athenienses prioribus temporibus decreverunt [1]), mentionem facit et ubique decreto ὁμόνοιαν

---

1) sex Atheniensium de amnestia decreta nobis traduntur. cf. J. M. Stahl, Üb. athen. Amnestiebeschl. Rh. M. 46 (1891) p. 250 sqq. quorum primum Solonis aetate, quod Plut. Sol. 19 affert, factum est, ultimum Hyperide auctore post cladem apud Chaeroneam acceptam.

i. e. concordiam totius civitatis effectam esse dicit. quod breviter explicemus.

cum olim rex Persarum cum ingenti exercitu in Graeciam profectus esset, Athenienses hoc decreverunt[1]: τοὺς φεύγοντας καταδέξασθαι καὶ τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιῆσαι καὶ κοινὴν τήν τε σωτηρίαν καὶ τοὺς κινδύνους ποιήσασθαι. πράξαντες δὲ ταῦτα, καὶ δόντες ἀλλήλοις πίστεις καὶ ὅρκους μεγάλους . . . ἔργον δὲ τοιοῦτον ἐργασάμενοι, οὐκ ἠξίωσάν τινι τῶν πρότερον γενομένων μνησικακῆσαι . . . διὰ τὸ ἀλλήλοις ὁμονοεῖν τὴν ἀρχὴν τῶν Ἑλλήνων κατειργάσαντο καὶ τὴν πόλιν ὑμῖν τοιαύτην καὶ τοσαύτην παρέδοσαν. hoc decretum altero loco eiusdem orationis (§ 77) probatur. Andocides igitur Athenienses eo superiores fuisse putat, quod exsules recepissent et quae antea facta erant oblivione obruissent. quod ὁμονοεῖν dicit.

deinde cum a. 405—404 res publica Atheniensium in summo discrimine esset, Patroclides ad ultimum remedium confugiens, quo bellis Persarum civitas ab interitu servata erat, amnestiam petivit[2]. atque iterum Andocides hanc reconciliationem factionum ὁμόνοιαν nominat, cf. § 76: ταῦτα οὖν ἐψηφίσασθε ἐξαλεῖψαι πάντα τὰ ψηφίσματα, καὶ αὐτὰ καὶ εἴ πού τι ἀντίγραφον ἦν, καὶ πίστιν ἀλλήλοις περὶ ὁμονοίας δοῦναι ἐν ἀκροπόλει. et § 73: ἐπεὶ γὰρ αἱ νῆες διεφθάρησαν καὶ ἡ πολιορκία ἐγένετο, ἐβουλεύσασθε περὶ ὁμονοίας, καὶ ἔδοξεν ὑμῖν τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιῆσαι καὶ εἶπε τὴν γνώμην Πατροκλείδης. atqui in psephismate quod Andocides § 77—79 affert vocem ὁμόνοια non legimus.

tertiam amnestiam Andocides eam enumerat, quam Athenienses post pacem a. 404 factam Tisameno auctore decreverunt. de qua narrat in § 81: καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων. neque aut in Andocidis

---

1) cf. Andoc. l. c. § 107 sq.

2) cf. etiam Xenoph. Hell. II 2, 10 sq.

narratione aut in psephismate Tisameni quod Andocides § 83—84 tradit vox ὁμόνοια invenitur.

paulo post triginta viros expulsos Lysiae quoque orationem XXV quae δήμου καταλύσεως ἀπολογία inscribitur ponendam esse verisimile est[1]. is qui orationem habuit se defendit, cum dominationi paucorum favisse argueretur. unde percipi potest reum ad reconciliationem factionum confugisse. itaque monet, ne populares in vitium triginta virorum labantur, qui singulorum delicta vindicaverint in tota civitate. sin autem sibi constarent, concordiam civitatis servatum iri. § 20: ἐκ τούτων γὰρ καὶ ὁμόνοιαν πλείστην ποιήσετε, καὶ ἡ πόλις ἔσται μεγίστη καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαρότατα ψηφιεῖσθε. quo loco vox ὁμόνοια ad paucos et populares reconciliatos refertur.

sed § 21—22 eadem voce significat concordiam paucorum popularibus repugnantium: ὅτε μὲν γὰρ ἀκούοιτε τοὺς ἐν ἄστει τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν, μικρὰς ἐλπίδας εἴχετε τῆς καθόδου, ἡγούμενοι τὴν ἡμετέραν ὁμόνοιαν μέγιστον κακὸν εἶναι τῇ ὑμετέρᾳ φυγῇ.

ad pactionem ipsam de concordia a. 403 factam refertur § 23: χρὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, . . . τούτους ἡγεῖσθαι δημοτικωτάτους, οἵτινες ὁμονοεῖν ὑμᾶς βουλόμενοι τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένουσι, νομίζοντες καὶ τῆς πόλεως ταύτην ἱκανωτάτην εἶναι σωτηρίαν καὶ τῶν ἐχθρῶν μεγίστην τιμωρίαν. pactione autem contempta — ita pergit — cives concordes non sunt, sed inter se in suspicionem veniunt. cf. § 30: ἀντὶ μὲν ὁμονοίας ὑποψίαν πρὸς ἀλλήλους πεποιήκασιν. atque maximi momenti est eiusdem orationis § 27, ubi legimus: τοὺς μὲν φεύγοντας κατεδέξασθε, τοὺς δ' ἀτίμους ἐπιτίμους ἐποιήσατε, τοῖς

---

1) Frohbergerus-Gebauerus in edit. Lys. I² p. 171 sqq. qui de tempore orationis agunt, a. 403 ponunt, sed F. Blass (Att. Bereds. I² 512) c. 400.

δ' ἄλλοις περὶ ὁμονοίας ὅρκους ὤμνυτε. ex his enim verbis statuendum est reconciliationem factionum iureiurando sanctam esse. num autem in formula ipsa iurisiurandi vox ὁμόνοια fuerit, non habemus, unde certo diiudicemus.

denique compluribus locis orationis funebris Lysianae (II)[1], verba ὁμόνοια et ὁμονοεῖν invenimus. secundum artem laudationis funebris orator initio tempora quae praeterierunt praedicat. de democratia modo instituta hoc dicit § 18: ἡγούμενοι (sc. δημοκρατίαν κατεστήσαντο) τὴν πάντων ἐλευθερίαν ὁμόνοιαν εἶναι μεγίστην. de effectu bellorum Persarum ita iudicat (§ 43): εἰκότως δὲ τὴν εὐτυχίαν ὁμονοοῦσαν τοῖς κινδύνοις ἐκτήσαντο. atque concordes animos Atheniensium laudat his verbis (§ 63): καὶ γάρ τοι μεγάλην μὲν ἀντὶ μικρᾶς ἀπέδειξαν τὴν πόλιν, ὁμονοοῦσαν δὲ ἀντὶ στασιαζούσης ἀπέφηναν, τείχη δὲ ἀντὶ τῶν καθῃρημένων ἀνέστησαν. et § 65: ὅτι οὐ κακίᾳ τῇ αὑτῶν οὐδ' ἀρετῇ ⟨τῇ⟩ τῶν πολεμίων πρότερον ἐδυστύχησεν ἡ πόλις. εἰ γὰρ στασιάσαντες πρὸς ἀλλήλους βίᾳ παρόντων τῶν ἄλλων ἐχθρῶν εἰς τὴν αὑτῶν οἷοί τε ἐγένοντο κατελθεῖν δῆλον ὅτι ῥᾳδίως ἂν ὁμονοοῦντες πολεμεῖν αὐτοῖς ἐδύναντο.

etiam Isocrates oratione (XVIII) contra Callimachum scripta cives monet, ut concordes inter se sint. quam concordiam factionum ὁμόνοιαν dicit § 44: . . . καὶ μὴν οὐ δεῖ γ' ὑμᾶς παρ' ἑτέρων μαθεῖν, ὅσον ἐστὶν ὁμόνοια ἀγαθὸν ἢ στάσις κακόν. et § 68: ἄξιον δὲ παροῦσαν τύχην διαφυλάττειν, ἐνθυμουμένους, ὅτι ἑτέρας μὲν πόλεις ἐποίησαν ἤδη συνθῆκαι (μᾶλλον) στασιάσαι, τὴν δ' ἡμετέραν . . . ὁμονοεῖν.

Athenienses igitur factiones semel atque iterum, ut in gratiam inter se redirent, vidimus esse incitatas.

---

1) utrum oratio Lysiae sit necne, cf. F. Blass, l. c. I² 436 sqq. qui eam post a. 394 ponit, sed fictam eam esse putat. item a Lysia abiudicat M. Pohlenz (Aus Platos Werdezeit p. 267 et 291²) et a Lysiae imitatore quodam quarto a. Chr. n. saeculo exeunte eam compositam esse censet.

atque profecto quantopere a. 395 controversiae factionum compositae essent, novimus e Xenoph. Hell. III 5, 16, ubi nemo suadere ausus est, ut Athenienses cum Lacedaemoniis, qui semper dominationi paucorum favebant, facerent, sed ad unum omnes decreverunt, ut Thebanis auxiliarentur: τῶν δὲ Ἀθηναίων πάμπολλοι μὲν συνηγόρευον, πάντες δ' ἐψηφίσαντο βοηθεῖν αὐτοῖς.

ex omnibus locis quos attulimus statuendum esse mihi videtur voci ὁμόνοια inde a temporibus quibus res publica Atheniensium certaminibus factionum valde perturbata est i. e. a fine belli Peloponnesiaci a scriptoribus vel oratoribus Atticis certam vim attributam esse: pacem et concordiam factionum, quae antea inter se vehementissime persequebantur.

neque tamen quamquam ὅρκοι περὶ ὁμονοίας, ut vidimus, afferuntur [1]), hanc vim vocis ὁμόνοια constitutam esse contendamus in iure publico. quod si esset, consentaneum esset accusationes [2]) ὁμονοίας laesae inveniri. at exempla desunt. sed certe audacis non est contendere eam vim vocis ὁμόνοια quam protulimus notioni in iure publico constitutae esse simillimam.

quin in aliis atque Atheniensium civitatibus vox ὁμόνοια talem vim videtur esse nacta. quod ut probemus, duas iurisiurandi formulas comparemus.

adulescentes Athenienses qui ἔφηβοι dicuntur, cum in tabulas civium referebantur, iureiurando obstrictos esse constat. cuius verba ipsa legimus apud Lycurg. contr. Leocrat. 77: οὐ καταισχυνῶ ὅπλα τὰ ἱερά, οὐδ' ἐγ-

1) cf. Lys. XXV 27.

2) de qua re G. Busolt benigne me monet. notio quidem δήμου καταλύσεως in iure publico fixa erat. quod delictum praeter προδοσίαν gravissimum habebatur, cuius interdum cives accusatos esse scimus. cf. F. H. Lipsius, D. Att. Recht u. Rechtsverfahren. II 1, 374 sqq.

καταλείψω τὸν παραστάτην ὅτῳ ἂν στοιχήσω, ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν. τὴν πατρίδα δὲ οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω ὅσης ἂν παραδέξωμαι. καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κραινόντων καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι καὶ ὅσους ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται ὁμοφρόνως. καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς ἢ μὴ πείθηται, οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων καὶ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω. ἴστορες θεοὶ Ἄγλαυρος, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεύς, Θαλλώ, Αὐξώ, Ἡγεμόνη[1]). observemus in hac formula vocem ὁμοφρόνως legi.

feliciter autem factum est, quod inscriptione quadam[2]) alterius civitatis formula iurisiurandi quae Atheniensi illi respondet servata est. habemus enim iusiurandum quod adulescentes Cherronesenses dabant. quam formulam secundum Atheniensem compositam esse manifestum est. inscriptio autem quae iusiurandum continet a viris doctis c. a. 300 ponitur[3]). formula incipit: ὀμνύω Δία, Γᾶν, Ἅλιον Παρθένον, θεοὺς Ὀλυμπίους καὶ Ὀλυμπίας καὶ ἥρωας ὅσοι πόλιν καὶ χώραν καὶ τείχη ἔχοντι τὰ Χερσονασιτᾶν· ὁμονοησῶ ὑπὲρ σωτηρίας καὶ ἐλευθερίας πόλεος καὶ πολιτᾶν καὶ οὐ προδωσῶ Χερσόνασον οὐδὲ Κερκινῖτιν οὐδὲ Καλὸν λιμένα οὐδὲ τἆλλα τείχη οὐδὲ τᾶς ἄλλας χώρας ἃν Χερσονασῖται ἐνέμονται οὐθενὶ οὐθὲν οὔτε Ἕλλανι οὔτε βαρβάρῳ, ἀλλὰ διαφυλαξῶ τῷ δάμῳ τῷ Χερσονασιτᾶν οὐδὲ καταλυσῶ τὰν δαμοκρατίαν οὐδὲ τῷ προδιδόντι καὶ καταλύοντι ἐπιτρεψῶ οὐδὲ συγκρυψῶ, ἀλλὰ ἐξαγγελῶ τοῖς δαμιοργοῖς τοῖς κατὰ πόλιν.

1) eandem formulam apud Stob., Florileg. 43, 48 M. G., vol. IV p. 18 H. invenimus. paulo differt formula quam Pollux VIII 104 tradit. Pollux loco adverbii ὁμοφρόνως praebet ἐμφρόνως. in Stobaei textum verbum ὁμοφρόνως quod in margine suppletur O. Hense suo iure recepit. probatur etiam Guilelmo Hofmann, De iurand. ap. Athen. formulis. Strassb. Diss. 1886 p. 34 sq.

2) cf. Dittenb., Sylloge II² nr. 461.

3) cf. B. Latyschew, S. A. B. 1892 p. 479 sqq.

in hac igitur formula Cherronesensi, quae quin recentior Atheniensi sit dubium esse non potest, vox ὁμονοήσω invenitur, in Atheniensi autem ὁμοφρόνως. certe utrumque verbum idem valet: adulescens obligatur legibus se obtemperaturum esse, novarum rerum se cupidum non fore, concordiam civium se spectaturum esse [1]. quae cum ita sint, efficitur eo tempore quo formula Cherronesensis composita est verbum ὁμονοεῖν in iure publico determinatum esse. quod eo probatur, quod eodem loco habetur atque verbum καταλυσῶ τὰν δαμοκρατίαν, quod in iure publico determinatum esse supra ostendimus.

atque inde a *fine quarti* a. Chr. n. *saeculi* haec vis vocis ὁμόνοια, quam scriptores [2] quarti saeculi saepe in universum ad concordiam rei publicae referunt, in *tabulis publicis praebetur. ergo illa aetate terminus iuris publici est.* persaepe legentibus occurrit in decretis quibus altera urbs arbitris alterius urbis gratias agit, quod lites civium aequo et iusto animo diremerint. unum ex multis ut afferam exemplum, in inscriptione quadam Prienensi, quae non ante a. 328/27 ponitur [3]),

---

1) eam ipsam vim vocis ὁμόνοια invenimus in tribus inscriptionibus primi a. Chr. n. saeculi, quibus cosmeta et ephebi propter ὁμόνοιαν epheborum publico decreto laudantur. cf. *Dittenb.*, Syll. II², 521 et I. G. II 1, 481; II 3, 470.

2) cf. Lys. XVIII 18. Isocr. III 41. IV 78; 104. VII 31; 68. VIII 19. Xen. Cyr. instit. V 5, 11. Plat. Polit. 311 b. Resp. 351 d; 432 a; 545 d. Leg. 759 b. Ps.-Plat. Alc. I 126 c. Demosth. XVIII 246. XX 12; 108; 110. XXII 77. XXIV 185. XXV 89. XXVI 11. epist. I 5. Hyperid. III 37. VII 27. Aeschin. II 27. Dinarch I 99. III 19. Anaxim. rhet. 1422 b, 36. Aen. Tact. XIV 1. neque praetermittamus locum *Callimacheum* ubi vox ὁμόνοια ad concordiam civitatis pertinet. Cer. 135 sq.

χαῖρε θεὰ καὶ τάνδε σάω πόλιν, ἐν δ' *ὁμονοίᾳ*
ἐν τ' εὐηπελίᾳ· φέρε δ' ἀγρόθι νόστιμα πάντα.

memorabile enim est hoc loco vocem ὁμόνοια in versu positam esse, quod rarissime invenimus (cf. p. 10², 47, 48²).

3) Inscript. Prien. ed. *Hiller de Gaertringen*. 1906. nr. 8.

haec legimus: [ἐπὶ] στεφανηφόρου Κλείτου μηνὸς Μεταγειτν[ιῶνος], [γνώ]μη [τ]ιμούχων· ἐπειδὴ ὁ δῆμο[ς] ὅ τε Φωκαι[έ]ων κα[ὶ . . .] . . . ων [κ]αὶ Ἀστυπαλαιέων αἰτησαμένων ἡμῶ[ν δικαστήριο]ν ἐπὶ τὰ συμβόλαια τά τε κοινὰ καὶ τὰ ἴδια ἀ[πέστε]ιλεν ἡμῖν ἄνδρας καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἀκόλουθα πρ[άττοντας τ]ῇ πρὸς τὸν δῆμον αὐτῶ[ν] ὑπαρχούσῃ εὐνοίᾳ, οἵ τ[ε παραγε]νόμενοι δικασταὶ πᾶσαν παρέσχοντο φιλοτιμ[ίαν] πρ[ὸ]ς τὸ διαλύειν τοὺς ἐν τοῖς ἐγκλήμασιν ὄντας, [καὶ τὰ]ς μὲν ἐδίκασαν τῶν δικῶν τῇ ψήφ[ῳ] κατὰ τοὺς νόμ[ους ὀρθῶ]ς, τὰς δ[ὲ συνέλυσαν] ἴσω[ς κ]αὶ δικαίως, εἰς ὁ μ ό ν ο ι α ν [καὶ προθ]υμίαν προαιρούμενοι τ[ὸν δ]ῆμον τὸμ Πριηνέω[ν] κ[αθιστάν]αι.

hoc loco ὁμόνοια pertinet ad concordiam rei publicae litibus civium diremptis restitutam. quae vis per saecula quae sequuntur usque ad aetatem imperatorum in inscriptionibus[1]) invenitur. praeterea in monumentis legimus, quae munere functi archontes insulae Teni constituere solebant. in quibus de gravibus eventibus anni sui rationem reddebant. ubi voce ὁμόνοια dicunt eo tempore civitatem tumultibus perturbatam non esse. cf. I. G. XII 5, 906:

[ἐπὶ] τούτ[ω]ν ἦ[ν]
[εἰ]ρήν[η], εὐνομί[α],
[εὐε]τηρία, ὁ μ ό ν ο ι α[2]).

---

1) cf. Dittenb. or. Gr. inscr. sel. I 2. I. G. XII 7, 15. Coll.-Becht. S. G. D. I. II 1563. Dittenb. l. c. I 229. I. G. XI 4, 566; 1052. II 5, 318 c, d. XII 5, 1065. Inscr. Prien. nr. 61. Dittenb. l. c. I 237. I. G. IX 2, 507. VII 21. Inscr. Prien. nr. 53. I. G. IX 2, 1100 a. XII 3, 172. Inscr. Magn. (ed. O. Kern, 1900) nr. 54, 101, 105. I. G. XII 5, 722. 870; Dittenb. Syll. I² 304. Inscr. Magn. 90. Inscr. Prien. 54. Dittenb. Syll. I² 329. II² 929; Inscr. Prien. nr. 113. I. G. II 1, 488. Dittenb. or. Gr. inscr. sel. II 622.

2) cf. etiam I. G. XII 5, 907 et P. Graindor, Musée Belge XI (1907) p. 111.

II a. β.

Iam inquiramus, quid ὁμόνοια valeat in civitate Lacedaemoniorum. inde a quarto a. Chr. n. saeculo ineunte scriptores Graeci Lacedaemoniorum antiquissimis temporibus instituta fingere solent perfectissima. quamquam de Lycurgi aut vita aut legibus nequamquam testimonia fuisse certa Plutarchus [1]) ipse profitetur. quo facilius illa instituta ab eis qui descripserunt in meliorem partem augeri poterant. Sparta exemplum esse videbatur civitatis ab omni parte perfectae, in qua quaeque virtus [2]) florebat. in quibus ὁμόνοια Lacedaemoniorum semper invenitur [3])·

iam in Lycurgi oraculis quae vocantur haec vox nobis occurit. in his fictis versibus Lycurgus leges suas a Pythia accepisse traditur. quam opinionem c. a. 400 aetate Lysandri omnibus Lacedaemoniis probatam esse docet E. Meyer l. c. in fragmento [4]) C εὐνομία laudatur et aperitur, qua via res publica salutem nanciscatur. quam Pythia dicit ἐλευθερίαν, quae in virtute et concordia (ἀνδροσύνη καὶ ὁμόνοια) constituta sit. quam ut ingrediatur, Lycurgum adhortatur:

εἰσὶν ὁδοὶ δύο πλεῖστον ἀπ' ἀλλήλων ἀπέχουσαι
ἡ μὲν ἐλευθερίας ἐς τίμιον οἶκον ἄγουσα
ἡ δ' ἐπὶ δουλείας φευκτὸν δόμον ἡμερίοισι·
καὶ τὴν μὲν διά τ' ἀνδροσύνης ἱερῆς θ' ὁμονοίας

---

1) Lyc. I: Περὶ Λυκούργου τοῦ νομοθέτου καθόλου μὲν οὐδὲν ἔστιν εἰπεῖν ἀναμφισβήτητον etc. cf. etiam E. Meyer, Forsch. I 278.

2) cf. Xenoph, resp. Lac. X: ἐκεῖνος (sc. Λυκοῦργος) ἐν τῇ Σπάρτῃ ἠνάγκασε δημοσίᾳ πάντας πάσας ἀσκεῖν τὰς ἀρετάς.

3) cf. E. Meyer, Forsch. I 216 sqq. P. Wendland, Beiträge I 168². R. de Pöhlmann, Gesch. d. soz. Frage u. d. Sozial. i. d. antik. Welt. I² p. 118 sqq.

4) ap. Diod. VII 12, 2. Euseb. praep. ev. V 28, 5.

ἔστι περᾶν, ἣν δὴ λαοῖς ἡγεῖσθε κέλευθον,
τὴν δὲ διὰ στυγερῆς ἔριδος καὶ ἀνάλκιδος ἄτης
εἰσαφικάνουσιν. τὴν δὴ πεφύλαξο μάλιστα.

tum igitur concordia Spartiatarum quasi donum deorum habebatur.

eandem laudem Lacedaemoniis attribuit Isocrates. in civitate eorum alterum alterum opibus suis adiuvare dicit et in libro qui inscribitur Archidamus (§ 67) regem optimo iure gloriantem facit, quanta concordia Lacedaemonii sociis praestent. quam virtutem στάσει (§ 65) opponit et ὁμόνοιαν nominat (§ 67): οὕτω ἀπίστως τὰ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς καὶ δυσμενῶς ἔχουσιν (sc. socii Peloponnesiaci Lacedaemoniorum qui tum in dicione Thebanorum erant) ὥστε μᾶλλον τοὺς πολίτας ἢ τοὺς πολεμίους δεδίασιν· ἀντὶ δὲ τῆς ἐφ' ἡμῶν ὁμονοίας καὶ τῆς παρ' ἀλλήλων εὐπορίας εἰς τοσαύτην ἀμιξίαν ἐληλύθασιν, ὥσθ' οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας ἥδιον ἂν εἰς τὴν θάλατταν τὰ σφέτερ' αὐτῶν ἐκβάλοιεν ἢ τοῖς δεομένοις ἐπαρκέσειαν. οἱ δὲ καταδεέστερον πράττοντες οὐδ' ἂν εὑρεῖν δέξαιντο μᾶλλον ἢ τὰ τῶν ἐχόντων ἀφελέσθαι.

eandem ob virtutem Xenophon[1] (Mem. III 5, 15 sq. Lacedaemonios quasi exemplum Atheniensibus proponit, quod imitandum sit. ubi etiam eandem atque Isocrates vocem illi rei praebet. cf. p. 17.

atqui in altero libro qui vocatur Παναθηναϊκός Isocrates adversantibus eis qui Lacedaemoniis immerito favebant demonstrat Lacedaemonios, ubi primum in terram Peloponnesiacam invasissent, tumultibus (στάσεις) § 178) esse perturbatos. tamen rem publicam eorum ἰσονομίᾳ καὶ δημοκρατίᾳ optime constitutam atque firmatam esse concedit. nam his institutis concordiam civium servari, quam ὁμόνοιαν nominat (l. c.): παρὰ σφίσι μὲν

1) cf. Gualth. Seyffert, De Xenoph. Ages. quaest. Gott. Diss. 1909. p. 55.

αὐτοῖς ἰσονομίαν καταστῆσαι καὶ δημοκρατίαν τοιαύτην, οἵαν περ χρὴ τοὺς μέλλοντας ἅπαντα τὸν χρόνον ὁμονοήσειν.

qua de causa iuvenis ille qui a Lacedaemoniis stat magistro obicit eum immerito Lacedaemonios vituperasse. nam rem publicam eorum optima instituta habere ipsum concessisse. duobus in fundamentis civitatem constructam esse, in virtutibus ἀνδρείας καὶ ὁμονοίας i. e. in virtute bonorum militum et bonorum civium (§ 217). respondet magister prave uti Lacedaemonios ὁμονοίᾳ; neque enim res ipsas bonas aut malas habendas esse, sed usu aut bono aut malo eas damnum aut utilitatem afferre (§ 224 sq.). iam pergit Lacedaemoniorum concordiam ipsis quidem commodo, finitimis autem nihil fuisse nisi damno. qua de causa talem concordiam non pluris aestimandam esse quam latronum, qui idcirco finitimos vexare possint, quod inter se tumultibus abstineant[1]). de hac latronum concordia Isocrates ipsam vocem ὁμονοεῖν adhibet (Panath. 226): οὗτοι (sc. οἱ Σπαρτιᾶται) γὰρ τῷ ταὐτὰ γιγνώσκειν περὶ τῶν ἔξω πραγμάτων ἀλλήλοις στασιάζειν τοὺς Ἕλληνας ὥσπερ τέχνην ἔχοντες ἐποίουν, καὶ τὸ χαλεπώτατον ταῖς ἄλλαις πόλεσι τῶν κακῶν γιγνόμενον, τοῦθ' αὐτοῖς ἁπάντων συμφορώτατον ἐνόμιζον εἶναι· τὰς γὰρ οὕτω διακειμένας ἐξῆν αὐτοῖς, ὅπως ἠβούλοντο, διοικεῖν. ὥστ' οὐδεὶς ἂν αὐτοὺς διά γε τὴν ὁμόνοιαν δικαίως ἐπαινέσειεν, οὐδὲν μᾶλλον ἢ τοὺς καταποντιστὰς καὶ λῃστὰς καὶ τοὺς περὶ τὰς ἄλλας ἀδικίας ὄντας· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι σφίσιν αὐτοῖς ὁμονοοῦντες τοὺς ἄλλους ἀπολλύουσιν. Isocrates igitur hoc loco voce ὁμόνοια societatem arte coniunctam civitatis significat.

attamen dilucidius fit, quam Isocrates ὁμόνοιαν La-

1) exemplum Isocrates nominat Triballos. quae gens summa civium concordia praestabat, sed ut latrociniis assueta apud omnes male audiebat. cf. Panath. (XII) 227: οὓς (sc. τοὺς Τριβαλλοὺς) ἅπαντές φασιν ὁμονοεῖν μὲν ὡς οὐδένας ἄλλους ἀνθρώπους. cf. etiam Guil. Nestle l. c. p. 45 sq.

cedaemoniorum intellegat, ex verbis quae in §§ 258—259 legimus: οὗ (sc. rerum gestarum Lacedaemoniorum) τεκμήριον οὐδεὶς ἂν δύναιτο μεῖζον εἰπεῖν ἀνδρίας καὶ καρτερίας καὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμονοίας, πλὴν ἢ τὸ ῥηθήσεσθαι μέλλον. haec autem verba scriptor quasi negative explicat § 259: ἐν δὲ τῇ Σπαρτιατῶν (sc. πόλει) οὐδεὶς ἂν ἐπιδείξειεν οὔτε στάσιν οὔτε σφαγὰς οὔτε φυγὰς ἀνόμους γεγενημένας οὐδ' ἁρπαγὰς χρημάτων οὐδ' αἰσχύνας γυναικῶν καὶ παίδων, ἀλλ' οὐδὲ πολιτείας μεταβολὴν οὐδὲ χρεῶν ἀποκοπὰς οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν οὐδ' ἄλλ' οὐδὲν τῶν ἀνηκέστων κακῶν. Lacedaemoniorum igitur in civitate neque tumultus neque certamina factionum neque scelera neque commutatio rerum publicarum neque cupiditas tabularum nominum delendarum et soli iterum distribuendi — id quod civium classis est ad extremam egestatem redactae — fuerunt. quorum verborum potissimum in fine paragraphi posita momenti mihi esse videntur magni. nam dubium esse non potest, quin haec ad omnium civium Spartiatarum aequalitatem rei familiaris pertineant. ergo ὁμόνοια hoc loco similem vim habet atque quam posteriores scriptores vocibus ἰσότης καὶ κοινότης vel κοινωνία[1]) attribuere videbimus.

etiam Ephorus instituta Lacedaemoniorum praedicat perfectissima. cuius opinionem ex Polybio[2]) (VI 45 sqq.) et Diodoro (VII 14, 3) cognovimus. Lycurgum unum ex eis qui fuerint intellexisse putat, quibus vinculis res publica optime contineretur. nam

1) „Gleichheit und Brüderlichkeit". cf. R. de Pöhlmann l. c. et p. 454.

2) Polybium hoc loco maxime Ephori opinionem tradere ex eo elucet quod Ephorus primus nominatur eorum scriptorum quos Polybius affert (v. p. 35). probatur haec conclusio eo quod cum hoc loco Polybi congruit Diod. l. c., quem excerpsisse Ephorum docet E. Meyer, Forsch. I 219 sqq. et Herm. 42 (1907) 136. cf. C. Wachsmuth, G. G. A. 1870 p. 1814 sqq. R. de Pöhlmann l. c. p. 122. G. Busolt, Handb.³ (1915) p. 49.

eum civitatem Lacedaemoniorum in fundamentis firmissimis, quae etiam Isocrates (Panath. 217) commemorat, condidisse, in virtutibus ἀνδρείας et ὁμονοίας. cf. Polyb. VI 46, 6: πολὺν δή τινα λόγον ἐν ἐπιμέτρῳ διατίθενται φάσκοντες (sc. οἱ λογιώτατοι τῶν ἀρχαίων συγγραφέων, Ἔφορος, Ξενοφῶν, Καλλισθένης, Πλάτων) τὸν Λυκοῦργον μόνον τῶν γεγονότων τὰ συνέχοντα τεθεωρηκέναι· δυοῖν γὰρ ὄντων, δι' ὧν σώζεται πολίτευμα πᾶν, τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους ἀνδρείας καὶ τῆς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμονοίας, ἀνῃρηκότα τὴν πλεονεξίαν, ἅμα ταύτῃ συνανῃρηκέναι πᾶσαν ἐμφύλιον διαφορὰν καὶ στάσιν. ᾗ καὶ Λακεδαιμονίους ἐκτὸς ὄντας τῶν κακῶν τούτων κάλλιστα τῶν Ἑλλήνων τὰ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς πολιτεύεσθαι καὶ συμφρονεῖν ταὐτά [1]). quid hoc loco ὁμόνοια spectet, apparet e verbis quae sequuntur, quae contraria ei sunt, ἐμφύλιος διαφορὰ καὶ στάσις. ex quibus effici potest vocem ὁμόνοια ad certamina factionum rei publicae tollenda pertinere. atque cuius generis sint et qua ex origine orta sint, e verbis ἀνῃρηκότα πλεονεξίαν intellegimus. Lycurgus igitur pravam cupiditatem rerum superfluarum prohibebat ita ut omnes cives necessarium victum haberent aequalem. ergo Ephorus voci ὁμόνοια eandem vim attribuit atque Isocrates.

easdem fere sententias eo loco invenimus, quo Ephorus de Cretum re publica loquitur. hanc dissertationem Strabo (X 4, 16 sqq.) nobis tradidit. quae cum plane congruat cum eis quae Ephorus de Lacedaemoniorum civitate narrat, optimo iure contenditur unam et eandem descriptionem ab Ephoro diversis locis operis interpositam esse [2]). qua de causa descriptionem Cretum rei publicae in Lacedaemoniorum civitate tractanda adhibere licet. illo loco Ephorus dicit eum qui Cretibus

---

1) cf. Diod. VII 14, 3: τὸ δὲ κεφάλαιον ἦν, ὅτι μεγίστην πρόνοιαν ποιητέον ἐστὶν ὁμονοίας καὶ ἀνδρείας ὡς διὰ μόνων τούτων τῆς ἐλευθερίας φυλάττεσθαι δυναμένης.

2) Polybius VI 46, 10 haec intellexit. assentitur E. Meyer, Forsch. I 220.

leges tulerit libertatem civium (ἐλευθερία) potissimum spectasse. quem ad finem ὁμόνοιαν et ἀνδρείαν instituisse. assecutum autem eum esse, quod vellet, διχοστασίας αἱρομένης i. e. tumultu factionum sublato atque hanc pacem civilem servasse duobus malis (πλεονεξία et τρυφή) pulsis. hanc igitur vim vocis ὁμόνοια eandem atque priore loco esse vidimus.

Polybius l. c. opinionem eorum scriptorum, quos affert, impugnat, sed ipse quoque Lycurgum summis laudibus effert, quod ὁμόνοιαν in Lacedaemoniorum civitate instituerit. cf. VI 48, 2: δοκεῖ δή μοι Λυκοῦργος πρὸς μὲν τὸ σφίσιν ὁμονοεῖν τοὺς πολίτας καὶ πρὸς τὸ τὴν Λακωνικὴν τηρεῖν ἀσφαλῶς, ἔτι δὲ τὴν ἐλευθερίαν διαφυλάττειν τῇ Σπάρτῃ βεβαίως, οὕτω νενομοθετηκέναι καὶ προνενοῆσθαι καλῶς, ὥστε θειοτέραν τὴν ἐπίνοιαν ἢ κατ' ἄνθρωπον αὐτοῦ νομίζειν. hanc vocem ὁμονοεῖν intellegit concordiam civium tumultibus factionum non perturbatam. atque is quoque censet internam illam pacem Spartiatarum in pari omnium possessione et communi victu simplici (ἰσότης καὶ κοινότης cf. l. c. § 3) consistere[1]). unde fieri ut nulla certamina factionum quae e dispari censu oriri soleant, in Lacedaemoniorum civitate exsistant (ἀστασίαστος πολιτεία).

1) dubium non est, quin Polybius his verbis doctrinam Stoicorum respiciat. cf. R. de Scala, D. Stud. des Polyb. I 201 sqq., imprimis p. 230. R. de Pöhlmann, l. c. p. 123 sqq. et 461 sqq. quod iam ex eo elucet, quod vox αὐτάρκεια in hac parte Polybi historiarum saepius invenitur. cf. cap. 48; 50, 1. profecto Zeno philosophus postulavit, ut in civitate esset summa vitae societas (cf. Wellmann, Philos. des Stoik. Zeno. Jbb. f. kl. Phil. 1873. p. 437 sqq.), civitas Stoica esset civitas amoris, libertatis, concordiae plena, amore res publica contineretur et servaretur. hac in conexu sententiarum invenitur etiam vox ὁμόνοια. cf. Athen. XIII 561 c: Ποντιανὸς δὲ Ζήνωνα ἔφη τὸν Κιτιέα ὑπολαμβάνειν τὸν Ἔρωτα θεὸν εἶναι φιλίας καὶ ἐλευθερίας ἔτι δὲ καὶ ὁμονοίας παρασκευαστικόν, ἄλλου δὲ οὐδενός. διὸ καὶ ἐν τῇ Πολιτείᾳ ἔφη τὸν Ἔρωτα θεὸν εἶναι συνεργὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὴν τῆς πόλεως σωτηρίαν.

eandem descriptionem Lycurgi civitatis eisdem fere verbis tradidit Plutarchus. qui narrat Lycurgum opinionem de optimis legibus suam a Thalete didicisse, quem quamquam poetam, tamen rerum publicarum peritissimum nominat. nam eum carminibus cives Cretenses adhortatum esse, ut legibus parerent et inter se concordes essent. cf. Plut. Lyc. IV: Λόγοι γὰρ ἦσαν αἱ ᾠδαὶ πρὸς εὐπείθειαν καὶ ὁμόνοιαν ἀνακλητικοὶ διὰ μελῶν ἅμα καὶ ῥυθμῶν πολὺ τὸ κόσμιον ἐχόντων καὶ καταστατικόν, ὧν ἀκροώμενοι κατεπραΰνοντο λεληθότως τὰ ἤθη καὶ συνῳκειοῦντο τῷ ζήλῳ τῶν καλῶν ἐκ τῆς ἐπιχωριαζούσης τότε πρὸς ἀλλήλους κακοθυμίας, ὥστε τρόπον τινὰ τῷ Λυκούργῳ προοδοποιεῖν τὴν παίδευσιν αὐτῶν ἐκεῖνον. Lycurgum cum in ea re cum Thalete consensisset, summum bonum rei publicae, maxime libertatem e virtute et concordia civium oriri censuisse. cf. Lyc. 31: ἀλλ' ὥσπερ ἑνὸς ἀνδρὸς βίῳ καὶ πόλεως ὅλης νομίζων εὐδαιμονίαν ἀπ' ἀρετῆς ἐγγίνεσθαι καὶ ὁμονοίας τῆς πρὸς αὑτήν, πρὸς τοῦτο συνέταξε καὶ συνήρμοσεν, ὅπως ἐλευθέριοι καὶ αὐτάρκεις γενόμενοι καὶ σωφρονοῦντες ἐπὶ πλεῖστον χρόνον διατελῶσι. quod ut assequeretur, eum ἁρμονίαν spectasse, cum potestates inter se pares redderet (cf. Lyc. 27) et πλεονεξίαν e civitate tolleret, cum omnes cives parem rem familiarem haberent. eam ipsam sententiam compluribus locis Agidis et Cleomenis vitarum invenimus (Ag. II; III; V 3; 19. Cleom. III); nam hos reges maiorum bonos mores in civitate quae tum luxuria et avaritia corrupta esset, restituere studuisse Plutarchus narrat. at hoc in conexu sententiarum non iam vocem ὁμόνοια praebet, sed eius loco ἰσότητα καὶ κοινωνίαν. cf. Ag. VII 6: ἰσότητα καὶ κοινωνίαν καταστήσῃ τοῖς πολίταις. ergo in Lacedaemoniorum civitate laudanda vox ὁμόνοια paulatim ad parem omnium civium rem familiarem et communem victum refertur ita ut in vim vocum ἰσότης καὶ κοινότης vel κοινωνία transeat, quin eis ipsis etiam submoveatur.

II b.

Aliam singularem vim voci ὁμόνοια tribuit Gorgias sophista. oratione enim illa quae vocatur λόγος Ὀλυμπιακός[1]) Graecos qui ex omnibus totius orbis regionibus ad ludos celebrandos Olympiam commigraverant, admonuit, ut inter se lites exercere desinerent et vires ad bellum contra communem hostem i. e. regem Persarum gerendum coniungerent. quam concordiam omnium gentium Graecarum ὁμόνοιαν dicit: στασιάζουσαν τὴν Ἑλλάδα ὁρῶν ὁμονοίας ξύμβουλος αὐτοῖς ἐγένετο τρέπων ἐπὶ τοὺς βαρβάρους καὶ πείθων ἆθλα ποιεῖσθαι τῶν ὅπλων μὴ τὰς ἀλλήλων πόλεις, ἀλλὰ τὴν τῶν βαρβάρων χώραν[2]).

etiamsi viri docti dissentiunt, quo anno oratio habita sit[3]), tamen dubium esse non potest, quin Gorgias primus voci ὁμόνοια hanc significationem attribuerit.

ex quo tempore illa sententia plurimis orationibus publicis a sophistis[4]) tractata est. Gorgias ipse de eadem atque Olympiae re in oratione funebri verbis

---

1) cf. H. Diels, Vors. II³, 235 ff. orationis ipsius nihil habemus nisi initium, quod Arist. rhet. III 1416 b 29 tradit, atque fragmentum prooemii apud Clem. Alex. Str. I c. 11, 51. cf. J. Bernays, Zu Gorg.' Ὀλ. λόγ. Rh. M. (N. F.) VIII (1853) p. 432 sqq.

2) Philostr. vit. soph. I 9, 4.

3) U. de Wilamowitz, Arist. u. Ath. I 172 et Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. V 333 ponunt a. 408;

contra a. 392 Fr. Blass, l. c. p. 59, F. Duemmler, Hermes XXVII 279, J. Beloch, Gr. Gesch. II 527, Jos. Kessler, Isocr. u. d. panhellen. Idee. Diss. Monac. 1910. p. 7, M. Pohlenz, Aus Platos Werdezeit. 1913. p. 300 adn. 2.

sed Guil. Oncken, Isocr. u. Ath. 1862. p. 42 et Br. Keil, Anal. Isocrat. p. 93³ intra bellum Peloponnesiacum orationem prolatam esse putant.

4) cf. Isocr. Paneg. (IV) 3 sqq.

quamvis tectis egit[1]), quam memoriae gratia civium Atheniensium — certius nescimus — finxit[2]).

Gorgias ob orationem Olympiacam summis laudibus affectus est[3]). atque Lysiam animo commotum esse constat, ut Gorgiam imitaretur vel si posset superaret oratione quae vocatur λόγος Ὀλυμπιακός[4]). cuius nihil servatum esse[5]) nisi initium dolemus. tamen quid Lysias spectaverit, scimus. Gorgias ut omnes Graecos ad commune bellum contra Persas gerendum inflammare conatus erat, ita Lysias Graecis qui ad panegyrin Olympiacam a. 388 convenerant, orationem recitavit[6]), qua demonstrare studuit praeter hostem orientalem esse alterum occidentalem: Dionysium tyrannum Siciliae. qui ad dies festos Olympiacos legatos magnificentissimis opibus ornatos miserat[7]), ut Graecis ante oculos proponeret, quanta et

---

1) Philostr. l. c. I 9, 5 sq.: ὁ δὲ Ἐπιτάφιος, ὃν διῆλθεν (sc. Γοργίας) Ἀθήνησιν, εἴρηται μὲν ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων πεσοῦσιν, οὓς Ἀθηναῖοι δημοσίᾳ ξὺν ἐπαίνοις ἔθαψαν, σοφίᾳ δὲ ὑπερβαλλούσῃ ζύγκειται. παροξύνων τε γὰρ τοὺς Ἀθηναίους ἐπὶ Μήδους τε καὶ Πέρσας καὶ τὸν αὐτὸν νοῦν τῷ Ὀλυμπικῷ ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ ὁμονοίας μὲν τῆς πρὸς τοὺς Ἕλληνας οὐδὲν διῆλθεν, ἐπειδὴ πρὸς Ἀθηναίους ἦν ἀρχῆς ἐρῶντας, ἣν οὐκ ἦν κτήσασθαι μὴ τὸ δραστήριον αἱρουμένους, ἐνδιέτριψε δὲ τοῖς τῶν Μηδικῶν τροπαίων ἐπαίνοις ἐνδεικνύμενος αὐτοῖς, ὅτι τὰ μὲν κατὰ τῶν βαρβάρων τρόπαια ὕμνους ἀπαιτεῖ, τὰ δὲ κατὰ τῶν Ἑλλήνων θρήνους.

2) de tempore orationis quae dicitur Ἐπιτάφος cf. F. Blass, l. c. p. 60. 436, qui ponit a. 421; F. Susemihl, N. Jbb. 1877. p. 748: a. 426—420; Guil. Oncken, l. c. post a. 393; F. Duemmler, Acad. p. 24: a. 391; J. Beloch, l. c. ad bellum Corinthiacum refert.

3) cf. Philostr. l. c. I. 9, 4. Paus. VI 17, 7—8.

4) talis laudatur titulus ap. Harpocrat. s. v. Ἰόνιος.

5) ap. Dion. Hal. de Lys. 29—30.

6) cf. Diod. XIV 109, 3. F. Blass, l. c. p. 431. U. de Wilamowitz, l. c. II 282. Ed. Meyer, l. c. p. 269. J. Beloch, l. c. p. 528². H. A. Sill, Untersuch. üb. d. platon. Briefe. I. Teil: Prolegomena. Diss. Hal. 1901. p. 6.

7) cf. Dion. Hal. l. c. Diod. l. c. Ps.-Plut. vit. X orat. 836 d.

quam splendida dominatio sua esset. quae cum ita essent, Lysias Graecos incitare conatus est, ut viribus coniunctis cives Siculos dominatione tyranni liberarent[1]), priusquam hic a rege Persarum adiutus omnes Graecos in potestatem suam redigeret. in Dionysium potissimum Lysiam animos Graecorum convertisse et ex argumento totius orationis quod tradit Dion. Hal. l. c. et ex eo quod oratione habita Graeci in tabernacula Sicula, ut compilarent, irruperunt, elucet[2]).

in fragmentis orationis quae traduntur vox ὁμόνοια quidem non invenitur, sed, cum Lysiam orationem Gorgianam imitatum esse manifestum sit, dubitandum non est, quin hoc etiam nomen a Gorgia mutuatus sit. in hac igitur oratione Lysiae vocem ὁμόνοια ad concordiam omnium Graecorum tyrannum Siciliae impugnantium pertinuisse verisimile est.

eandam atque Gorgias et Lysias orationibus Olympicis opinionem defendit Isocrates[3]). qui in doctrina sophistarum eruditus, quamquam foro carebat, tamen sagaci animo providit, quae eventura essent. semper omnium Graecarum gentium commodis consuluit. atqui eius aetate commutatio rerum Graecarum facta est. qua de causa factum est, ut Isocrates posterioribus vitae temporibus aliam de rebus politicis opinionem haberet atque antea. unde explicatur Isocratem aliis libris ab aliis civitatibus conatum esse impetrare, ut consilia de

1) cf. U. de Wilamowitz, l. c. H. A. Sill, l. c.
2) cf. Dion. Hal. l. c. Diod. l. c.
3) in hac parte opusculi conficienda magnum fructum cepi ex P. Wendlandi commentationibus quae inscribuntur „Beiträge zur athen. Polit. u. Publizist. des 4. Jahrh. I. König Philippos u. Isokrates. II. Isokrates u. Demosthenes“. N. G. G. 1910. p. 223 sqq. et 289 sqq. cf. etiam U. de Wilamowitz, l. c. p. 280 sqq. Jos. Kessler, l. c.

omnibus Graecis coniungendis sua perficerent. quam rem persequamur.

in libro quidem qui vocatur Πανηγυρικός, qui in lucem prodiit a. 380, Isocrates suadet, ut gentes Graecae inter se concilientur, inter se bellare desinant. qua propositione potentissimas imprimis Graeciae civitates, Athenienses et Lacedaemonios, adit. nam si Graeci inter se discordes sint, fieri non posse exponit — haec est altera propositio —, ut omnes gentes Graecae linguae coniunctae hosti omnium Graecorum i. e. regi Persarum bellum inferant. quam ad concordiam Isocrates refert verba ὁμόνοια et ὁμονοεῖν. cf. Paneg. 3: . . . ἥκω συμβουλεύσων περί τε τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τῆς ὁμονοίας τῆς πρὸς ἡμᾶς αὐτούς. v. etiam §§ 85. 138. 173.

cum autem denuo civitates Graecae inter se bello persequerentur, Isocrates consilia sua ad principes detulit [1]. in quibus in Iasonem tyrannum Pherarum oculos vertit, qui Isocratis consiliis favebat [2]. Iasone autem interfecto spes Isocratis evanuerunt. tamen paucis annis post Dionysium [3] Siciliae tyrannum adiit, qui ob magnam potentiam idoneus ei videbatur, qui consilium illud perficeret. quo accessit, quod tyrannus Siciliae eis temporibus apud Graecos melius audiebat [4] quam prioribus [5]. tum vero Isocrates Archidamum [6]

1) cf. Socratic. epist. XXX. J. Beloch l. c. p. 529.

2) cf. Isocrat. Phil. (V) 119.

3) cf. Isocrat. epist. I. quam genuinam esse probatur Isocrat. Phil. (V) 81. cf. U. de Wilamowitz. l. c. II 391.

4) cf. H. A. Sill. l. c. p. 8—12.

5) cf. Lys. Olymp. et Isocr. Paneg. 169: ἴσως δ' ἂν καὶ τῆς ἐμῆς εὐηθείας πολλοὶ καταγελάσειαν, εἰ δυστυχίας ἀνδρῶν ὀδυροίμην ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς, ἐν οἷς Ἰταλία μὲν ἀνάστατος γέγονε, Σικελία δὲ καταδεδούλωται, τοσαῦται δὲ πόλεις τοῖς βαρβάροις ἐκδέδονται, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη τῶν Ἑλλήνων ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις ἐστίν.

6) ep. IX Isocratis esse negat U. de Wilamowitz l. c. II 394, sed contendit J. Beloch l. c. II 529³.

Agesilai filium monuit, ut exemplum patris imitaretur. paulo autem post inter Athenienses et Philippum pax inita est; Atheniensium potentia valde diminuta, Macedonum aucta est. unde factum est, ut Isocrates, cum in Panegyrico postulavisset, ut Athenienses Graecis regem Persarum aggredientibus praeessent, iam ad Philippum confugeret.

in libro enim qui vocatur Φίλιππος a. 346 composito cognovit regi Macedonum soli tantas opes praesto esse, ut Graecos contra Persas duceret. quod bellum priusquam susciperet, Graecas gentes inter se reconciliaret necesse esse, prius potentia maiores, Athenienses, Lacedaemonios, Argivos, Thebanos, deinde minores ceteras. ad hanc civitatum Graecarum concordiam per totum hoc opus Isocratis verba ὁμόνοια et ὁμονοεῖν pertinent. cf. § 16: μέλλω γάρ σοι συμβουλεύειν προστῆναι τῆς τε τῶν Ἑλλήνων ὁμονοίας καὶ τῆς ἐπὶ τοὺς βαρβάρους στρατείας. v. etiam §§ 30. 40. 83. 141.

similiter in ultima oratione quae dicitur Παναθηναϊκός Isocrates comprehendit voce ὁμόνοια concordiam omnium Graecorum (cf. § 13), quam ὁμόνοιαν antiquissimis temporibus Athenienses efficere studuerunt (§ 42). quod cum spectarent, eam concordiam omnium gentium Graecarum retinere vel renovare conati sunt, quam Agamemno [1]) bello Troiano constituerat. ad hanc quoque communem actionem refert vocem ὁμόνοιαν (§ 77). deinde iidem Athenienses, cum colonias deduxerunt, ad Graecos

1) eandem atque Agamemno dignitatem Agesilaus rex Lacedaemoniorum sibi sumebat et quasi alter Agamemno videri volebat. cum enim in Asiam a. 396 transgressurus esset, eodem unde Graeci olim in bellum Troianum profecti erant, Aulidem se contulit, ut sacra faceret. cf. Xen. Hell. III 4, 3: αὐτὸς (sc. Ἀγησίλαος) δ' ἐβουλήθη ἐλθὼν θῦσαι ἐν Αὐλίδι, ἔνθαπερ ὁ Ἀγαμέμνων ὅτ' εἰς Τροίαν ἔπλει ἐθύετο. Xenophon autem ὁμονοίας ipsius neque hoc loco neque alio mentionem facit. cf. infra p. 44.

coniungendos multum contulerunt (ὁμονοεῖν § 167). atque profecto post pugnam apud Chaeroneam commissam altera propositio i. e. ὁμόνοια omnium Graecorum perfecta esse Isocrati[1]) videtur. cf. epist. III § 2: κατ' ἐκεῖνον μὲν γὰρ τὸν χρόνον συνεβούλευον, ὡς χρὴ διαλλάξαντά σε τὴν πόλιν τὴν ἡμετέραν καὶ τὴν Λακεδαιμονίων καὶ τὴν Θηβαίων καὶ τὴν Ἀργείων εἰς ὁμόνοιαν καταστῆσαι τοὺς Ἕλληνας, ἡγούμενος, ἂν τὰς προεστώσας πόλεις πείσῃς οὕτω φρονεῖν, ταχέως καὶ τὰς ἄλλας ἐπακολουθήσειν (cf. § 6).

Isocrateae dicendi arti Demosthenem studuisse, eiusdem de re publica rationem cognovisse et — id quod facile intellectu — Isocratis opinionum suis in orationibus rationem habuisse P. Wendland[2]) docet. qua de causa mirandum non est apud Demosthenem eadem atque apud Isocratem rerum nomina inveniri. non minus quam Isocrates Demosthenes in oratione quae περὶ συμμοριῶν (XIV) inscribitur intellegit regem Persarum κοινὸν ἐχθρὸν ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων (§ 3) esse[3]). sed non ignorat fieri non posse, ut Graeci barbarum aggrediantur, si inter se discordes sunt. hanc condicionem, sine qua illud fieri non potest, eodem atque Isocrates verbo ὁμονοεῖν (§ 36) significat. similem in modum adverbium ὁμοθυμαδόν (§ 37) adhibet. post pacem Philocrateam

---

1) epist. III genuinam esse contendunt F. Blass, Att. Bereds. II² 97; III 1², 375 et Rh. M. XX (1865) 109 sqq. J. Beloch, Gr. Gesch. II 574¹. Ed. Meyer, S. A. B. 1909. p. 766. P. Wendland l. c. p. 177 sqq.; spuriam autem eam esse putant U. de Wilamowitz, l. c. II 395 sq. id. Unechte Briefe. Herm. XXXIII (1898) p. 494—496. C. Woyte, De Isocratis quae feruntur epistulis. Diss. Lips. 1907. p. 9 sq.

2) l. c. Beiträge II p. 289 sqq. cf. etiam J. Beloch, l. c. II 496.

3) oratio XIV a. 354 prodiit. quo tempore Artaxerxes Ochos in Cilicia et Syria ingentes copias contraxit, quantae ab Xerxis aetate coactae non erant. cf. J. Beloch, Att. Politik, p. 172.

a. 346 factam Demosthenes in Philippum similiter se gerit atque a. 354 in regem Persarum. ut in oratione περὶ συμμοριῶν scripta contra regem Persarum, ita tum Graecis inopportunum esse putat bellare contra regem Macedonum. quamquam Philippus ἐχθρὸς τῶν Ἑλλήνων [1]) esse ei videtur, a quo omnes Graecos ὁμοθυμαδόν [2]) se defendere oportet. atque talibus in sententiis illam vocem illorum qui commune bellum ab omnibus civitatibus Graecis contra Persas gerendum spectabant, ὁμόνοιαν praebet. cf. Phil. Γ (IX), 38: τὸν οὖν καιρὸν ἑκάστου τῶν πραγμάτων . . . οὐκ ἦν πρίασθαι παρὰ τῶν λεγόντων οὐδὲ τῶν στρατηγούντων, οὐδὲ τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν, οὐδὲ τὴν πρὸς τοὺς τυράννους καὶ τοὺς βαρβάρους ἀπιστίαν, οὐδ' ὅλως τοιοῦτον οὐδέν.

ex eis quae iam exposuimus elucet voci ὁμόνοια summos scriptores vel oratores Graecos quarti a. Chr. n. saeculi qui rebus publicis studebant, certam quandam vim tribuisse: concordiam omnium gentium Graecarum adversus hostes externos se convertentium [3]).

consentaneum est vocem ὁμόνοιαν etiam usurpari de complurium civitatum concordia. velut Xenophon uno loco (Hell. VI 5, 35) [4]) verbum ὁμονοεῖν ad foedus Lacedaemoniorum cum Atheniensibus contra Thebanos faciendum refert. unus ex legatis Lacedaemoniorum loquitur (l. c.): Ἐὰν δὲ ὑμεῖς καὶ ἡμεῖς, ὦ ἄνδρες, ὁμο-

---

1) orat. XIX 307.

2) orat. X 59.

3) eandem vim vocis ὁμόνοια invenimus in duabus inscriptionibus quas repetivit Dittenbergerus Syll. I² 214, 31 (c. a. 265) et I² 304, 45 (c. a. 164).

4) quo loco excepto nusquam apud Xenophontem voces ὁμόνοια et eadem stirpe formatae ad concordiam civitatum pertinentes inveniuntur. cf. F. W. Sturz, Lexic. Xenoph. G. A. Sauppe, Lexilog. Xenoph. in Xenoph. hist. Graec. ipse inquisivi.

νοήσωμεν, νῦν ἐλπὶς τὸ πάλαι λεγόμενον δεκατευθῆναι Θηβαίους. atque ad concordiam inter Athenienses et Philippum regem Macedonum Aeschines (II 120) vocem ὁμόνοιαν refert.

e saeculis autem quae sequuntur paucae inscriptiones nobis traditae sunt, quae hanc vim vocis ὁμόνοια praebent. invenitur quidem in inscriptione, qua condiciones continentur foederis quod urbes Lesbi insulae inierunt (medio III. a. Chr. n. saeculo). cf. I. G. XI 4, 1064, 29:

. . . ἵνα δὲ καὶ νόμοι εἰσενεχ[θῶσιν]
-[ἐγ δὲ Μυτι]λήνας ἔννεκα, ἐγ δὲ Μαθύμνας ἕξ, ἐγ δὲ Ἀντίσ[σας]
-ον νόμοις εἰς τὰν πρώταν ἐκλησίαν περί τε ἐφο-
-ων εἰσαχθησομένων εἰς μέσσον ἔνεκα τᾶς χρ-
-[εις? αὔ]ξησιν καὶ ὁμόνοιαν τῶν Λεσβίων καὶ περιπι-
-μετὰ ταῦτα ὅν τρόπον οἱ ἐνκαλέν[τες]-
-εστω δὲ καὶ ἄλλω τῷ θέλοντι Λ[εσβίων?]
-[σύ]νθηκα [1]).

vox ὁμόνοια igitur ad societatem urbium pertinet. similiter res se habet in I. G. VII 207, 8 (III. s.) et I. G. V 1, 15 (ante aetatem Neronis).

III.

Tertia vis vocis ὁμόνοια est haec: concors familiaritas in amore vel amicitia posita. neque haec quidem significatio ante quartum a. Chr. n. saeculum invenitur, quamquam, ut supra vidimus, apud priores poetas et scriptores [2]) res describantur, quae voce ὁμόνοια bene nominari possunt.

---

1) Dürrbach-Jardé, Bull. de corr. hell. XXIX (1905) p. 208 sq.: „il s'agit de mesures financières imposées aux cités contractantes".

2) praeter eos locos quos supra p. 8 sqq. attulimus animos convertamus ad Hesiodi de amore amicorum diminuto questus (ἔργα κ.

prima occurrit haec vis vocis ὁμόνοια in Alcib. I 126e sq. qui liber quin Platonis non sit, dubium non est. auctor illa voce comprehendit concordiam familiarium in eis rebus quibus omnes eodem iure provident: ἐγὼ μὲν οἶμαι φιλίαν τε λέγειν καὶ ὁμόνοιαν, ἥνπερ πατήρ τε υἱὸν φιλῶν ὁμονοεῖ καὶ μήτηρ καὶ ἀδελφὸς ἀδελφῷ καὶ γυνὴ ἀνδρί etc. ἔστιν ἄρα τὰ μὲν γυναικεῖα, τὰ δὲ ἀνδρεῖα μαθήματα κατὰ σὸν λόγον. πῶς δ' οὔ; οὐκ ἄρα ἔν γε τούτοις ἐστὶν ὁμόνοια γυναιξὶ πρὸς ἄνδρας et quae sequuntur.

deinde in epist. II 311 b quae Platonis nomine traditur verbo ὁμονοεῖν concordia virorum prudentium et potentium amicitia communitorum significatur. auctor dicit haec: et homines in colloquiis summos viros inter se comparare solent et poetae in carminibus hunc morem tenent velut Creontem una cum Tiresia similesque canentes. iam pergit: τούτων δὲ τοὺς μὲν εἰς διαφοράν, τοὺς δ' εἰς φιλίαν ἀλλήλοις ἰόντας, τοὺς δὲ τοτὲ μὲν ὁμονοοῦντας, τὰ δὲ διαφερομένους ᾄδουσιν.

in fragmento quod Lycurgi[1]) nomine traditur vox ὁμόνοια ad concordiam coniugum pertinet: ὅταν γυνὴ ὁμονοίας τῆς πρὸς ἄνδρα στερηθῇ, ἀβίωτος ὁ καταλειπόμενος γίνεται βίος[1]).

in fragmento Alexidis vox ὁμόνοια ad concordem

ἡμ. 183 sqq.) neque minus ad Lys. I 6, ubi Euphiletus filio nato suspicionem uxoris suam dirutam et summam familiaritatem effectam esse narrat. quod nominat οἰκειότητα. atque idem verbum praebet Xenophon qui in instit. Cyri VIII 7, 14 sqq. Cyrum morientem filios adhortatum esse dicit, ut concordes inter se essent (μὴ οὖν ἃ οἱ θεοὶ ὑφήγηνται ἀγαθὰ εἰς οἰκειότητα ἀδελφοῖς μάταιά ποτε ποιήσητε).

1) quis sit Lycurgus, incertum est. F. Blass qui hoc fragmentum (64) inter reliquias Lycurgi oratoris (edit. 1899) affert, dubitat genuinumne sit. in fragmentis oratoris etiam Baiter-Sauppe (edit. Lyc. frg. 99) ponunt. traditur ap. Stob. Flor. 68, 35 M. Eclog. IV p. 521 H.

consuetudinem regis Ptolemaei et Berenices sororis refertur:

ἐγὼ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως τέτταρα
χυτρίδι' ἀκράτου τῆς δ' ἀδελφῆς προσλαβὼν
τῆς τοῦ βασιλέως, ταῦτ' ἀπνευστί τ' ἐκπιὼν
ὡς ἄν τις ἥδιστ' ἴσον ἴσῳ κεκραμένον,
καὶ τῆς ὁμονοίας, διὰ τί νῦν μὴ κωμάσω
ἄνευ λυχνούχου πρὸς τὸ τηλικοῦτο φῶς;

neque aliter Menander concordiae coniugum summum pretium statuit. qua de causa monet, ut condicionum, in quibus concordia posita sit, ratio habeatur. in quibus enumerat iucundum aspectum et bonam animi indolem. cf. frg. 58 M.:

δύ' ἔσθ' ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ,
ἤτοι προσηνῆ γ' ὄψιν ἢ χρηστὸν τρόπον·
τὴν γὰρ ὁμόνοιαν τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ.

duobus autem locis eandem vocem ad familiaritatem amicorum vel fratrum refert. frg. 468 M.:

ἡ τῶν ὁμοίων αἵρεσις μάλιστά πως
τὴν τοῦ βίου σύγκρασιν ὁμόνοιαν ποιεῖ.

et frg. 262 M.:

ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖς ἐστιν ὁμονοίας ἔρως.

etiam in duabus de honoribus feminarum inscriptionibus quae servatae sunt vox ὁμόνοια ad familiaritatem coniugum refertur. cf. Dittenb. or. Gr. inscr. sel. I 308, 2[1]): regina Apollonis Pia, uxor regis Attali, in deorum numero collocata est, quod plurimis virtutibus praesitit: διὰ τὸ . . . [ὡ]ς καὶ πρὸς τὸν ἴδιον ἄνδραν συνβεβιωκέναι μεγαλοπρεπῶς, προσενενηνέχθαι δὲ καὶ τοῖς τέκνοις μετὰ πάσης ὁμονοίας γνησίως [κ]αλλιτεκνήσασά τε μεγάλους ἐπαίνους πρὸς εὐδοξίαν ὑπελ[ίπ]ετο τὰς παρὰ τῶν τέκνων ἐπιφανεῖς ἐκομισαμένη χάριτ[ας]. . . . 16. καὶ τῆς ἰδίας καλοκαγα[θίας] τῇ πρὸς τὰ τέκνα συνπερ[ιφ]ορᾷ καὶ ὁμονοίᾳ

1) intra annorum 167—159 spatium.

κάλλιστον [τεκμήριον] π[ρὸ]ς ἔπαινον ὑπελίπετο. et I. G. V 2, 268, 29[1]): συνηρμόσθη δ' αὐτῷ καὶ γυνή, πολῖτις ἀπὸ γένους, Ἐπιγόνη Ἀρτέμωνος [ἀ]ξ[ίοις] γάμοις συνκερασθεῖσα· ἐζευγήνυντο γὰρ βίοι [βίοι]ς [κ]αὶ σώμασιν ψυχαὶ καὶ παρ' ἀμφοτέροις ἀμέρι[στος ὁ] μόνοια.

Plutarchus (coniugial. praecept. = mor. 144 b, c) fabellam tradit qua Gorgiae, cum Olympiae Graecos, ut concordes inter se essent, admonuisset, Melanthius hoc modo illusisse dicitur: Γοργίου τοῦ ῥήτορος ἀναγνόντος ἐν Ὀλυμπίᾳ λόγον περὶ ὁμονοίας τοῖς Ἕλλησιν ὁ Μελάνθιος ʽοὗτος ἡμῖνʼ ἔφη ʽσυμβουλεύει περὶ ὁμονοίας, ὃς αὐτὸν καὶ τὴν γυναῖκα καὶ θεράπαιναν ἰδίᾳ τρεῖς ὄντας ὁμονοεῖν οὐ πέπεικενʼ. ἦν γὰρ ὡς ἔοικέ τις ἔρως τοῦ Γοργίου καὶ ζηλοτυπία τῆς γυναικὸς πρὸς τὸ θεραπαινίδιον.

in hac quoque fabella inventa vox ὁμόνοια ad concordiam familiae refertur.

altera in fabella, quam Plutarchus (de garrul. = moral. 511 c) de Sciluro rege Scytharum narrat, vocem ὁμόνοιαν ad concordiam fratrum refert: Σκίλουρος δὲ καταλιπὼν ὀγδοήκοντα παῖδας, ὁ Σκυθῶν βασιλεύς, ᾔτησε δέσμην δορατίων, ὅτ' ἀπέθνησκε, καὶ λαβόντας ἐκέλευσε καταθραῦσαι καὶ κατεάξαι συνδεδεμένην καὶ ἀθρόαν· ὡς δ' ἀπεῖπον, αὐτὸς ἓν καθ' ἓν ἕλκων πάντα ῥᾳδίως διέκλασε· τὴν συμφωνίαν αὐτῶν καὶ τὴν ὁμόνοιαν ἰσχυρὸν ἀποφαίνων καὶ δυσκαθαίρετον, ἀσθενὲς δὲ τὴν διάλυσιν καὶ οὐ μόνιμον[2]).

---

1) sub finem I. a. Chr. n. saeculi.

2) eandem narratiunculam tradit Babrius (47, 46 Crusius), sed loco verbi ὁμονοεῖν verbum ὁμοφρονεῖν adhibet:

ὦ παῖδες, οὕτως, εἶπεν, ἢν μὲν ἀλλήλοις
ὁμοφρονῆτε πάντες, οὐδ' ἂν εἷς ὑμᾶς
βλάψαι δύναιτο, κἂν μέγιστον ἰσχύῃ.

qua re probatur voces stirpe ὁμονο- formatas in versibus evitari. neque enim verbum ὁμονοεῖν usquam in carminibus, vox ὁμόνοια rarissime nobis occurrit. cf. p. 10², 29², 47.

Musonius[1]) in libro suo qui τί κεφάλαιον γάμου inscribitur monet, ut ei, qui matrimonium inire velint, animi virtutes potissimum spectent, quibus concordia coniugum servetur: οὔτε γὰρ πλοῦτος οὔτε κάλλος οὔτ' εὐγένεια κοινωνίαν μᾶλλον αὔξειν πέφυκεν, ὥσπερ οὐδ' ὁμόνοιαν . . . ταῦτα κρείττω ἀπεργάζεται. . . . ποῖος μὲν γὰρ γάμος χωρὶς ὁμονοίας καλός; ποία δὲ κοινωνία χρηστή; πῶς δ' ἂν ὁμονοήσειαν ἄνθρωποι πονηροὶ ὄντες ἀλλήλοις; ἢ πῶς ⟨ἂν⟩ ἀγαθὸς πονηρῷ ὁμονοήσειεν; . . . ἔστι δὴ καὶ ὁ πονηρὸς τῷ τε πονηρῷ οὐ φίλος οὐδ' ὁμονοεῖ καὶ πολὺ ἧττον τῷ χρηστῷ.

iam vidimus tres significationes principales voci ὁμόνοια attribui: concordiam civilem, concordiam omnium Graecorum, concordiam familiarem.

IV.

Quarto a. Chr. n. saeculo vox ὁμόνοια etiam nomen personale facta est. quod omnes illas tres significationes continere demonstrabimus.

in dea Ὁμόνοια concordia civitatis repraesentata est. qua ratione nomen navis certe intellegendum est, quod in duabus navium tabulis Atheniensium invenimus. cf. I. G. II 2, 809 c, 181 (a. 325/24): κρεμαστῶν ἐντελῶν ἀπελάβομεν τοῦ διαγράμματος Τ ἀπὸ τῆς τετρήρους Ὁμονοίας, Ἀρχένεω ἔργον. et l. c. 812, 36 (a. 323/22 aut qui proxime sequuntur): [τετ]ρήρης Ὁ[μ]όνοια, Ἀρχένεω [ἔργον][2]). quo ex tempore hoc nomen personale in usu versetur, ex eo apparet, quod in navium tabulis quae ad a. 373 et qui sequuntur pertinent, similia nomina personalia Ἐλευθερία, Δημοκρατία (I. G. II 2, 789, 10—12), Εὔνοια (l. c. 790 b, 32) [Π]ρόνο[ι]α (l. c. 799 b, 11), sed nondum Ὁμόνοια occurrunt.

---

1) ed. O. Hense (1909) p. 69.

2) cf. A. Boeckh, Urkund. üb. d. Seew. des att. Staat. XIV 450; XVII 557.

huc quoque referenda est dedicatio templi et statuae Ὁμονοίας καὶ τοῦ Δάμου in insula Co[1]: [Πά]μφιλος Παρμενίσ[κου] φύ(σει) δὲ Πύθων Ἀπολλ[οδώ]ρου στεφαναφορῶν [τὸν] ναὸν καὶ τὸ ἄγαλμα [Ὁ μ ο ν]ο ί ᾳ καὶ τῷ δάμω(ι). cum hic Δῆμος et Ὁμόνοια arte coniungantur, Ὁμόνοια nihil spectat nisi concordiam civium. ibidem pars quaedam fastorum sacrorum servata est, e quibus inter alia sacrificia deae Ὁμονοίᾳ hostia ovis decreta est[2]. neque habemus, cur non eodem modo atque priore loco hanc deam intellegamus.

atque ex inscriptione quadam Piraei[3] comperimus Stephanum quendam a. 302/01 statuam Cereris Ὁ μ ο ν ο ί α ς τοῦ κοινοῦ posuisse. hoc loco de concordia societatis orgeonum agitur, quae similia rei publicae instituta habebat. item res se habet I. G. II 3, 1663, ubi Ὁ μ ό ν ο ι α τοῦ θιάσου commemoratur[4].

deinde Ὁμόνοια signum c o n c o r d i a e o m n i u m G r a e c o r u m putatur. cui deae Olympiae, quo ex tota Graecia cives conveniebant, ara aedificata est[5]. cuius mentionem facit Paus. V 14, 9: ἐφεξῆς δὲ Ὁ μ ο ν ο ί α ς βωμὸς καὶ αὖθις Ἀθηνᾶς, ὁ δὲ Μητρὸς θεῶν. praeterea Thebis statuam Ὁμονοίας τῶν Ἑλλήνων fuisse statuere debemus. nam

---

1) Inscr. of Cos. ed. P a t o n and H i c k s. nr. 61.

2) l. c. nr. 401.

3) I. G. II 5, 611 b. cf. P. F o u c a r t, Bull. de corr. hell. III (1879) p. 510 sq.

4) I. G. III 1, 403 Ὁ μ ο ν ο ί α ς πύλη nominatur. sed cuius generis sit monumentum, quove consilio exstructum, ambiguum est. cf. Guil. D i t t e n b e r g e r ad l.

5) cf. H. C u r t i u s, D. Altäre v. Olympia. Abh. Ak. Berl. 1881. p. 36. exempla quae dehinc afferam imprimis e lexico mythologico quod edidit R o s c h e r u s sumpsi, ubi s. v. Homonoia vol. I p. 2701 sqq. et vol. III p. 2136 sq. (L. D e u b n e r, Personificat. abstract. Begriffe) collecta sunt.

Plataeenses aetate Hadriani statuam in L. Egnati Victori Lolliani cuiusdam honorem dedicaverunt (C. I. G. 1624): παρὰ τῷ Ἐλευθερίῳ Διὶ καὶ τῇ Ὁμονοίᾳ τῶν Ἑλλήνων. atque in gemma quadam (C. I. G. 7308) haec verba scripta videmus: Ὁμόνοια Ἑλλήνων. attamen etiam singulae civitates in memoriam communis actionis Ὁμόνοιαν venerantur, velut Athenienses et Thespienses. cf. C. I. G. S. 1, 1784: Ὁμό[νοια] Θεσπιέων καὶ Ἀθηναίων.

ab aetate Augusti imperatoris saepissime in nummis urbium quae in Asia minore sitae sunt[1]) nomen Ὁμόνοια legitur. plerique in parte adversa imaginem imperatoris et in parte aversa imagines quae ad urbes ipsas pertinent aut deorum qui potissimum in his urbibus coluntur et nomen Ὁμόνοια praebent. quid hoc sibi vult? si diligentur nomina urbium lustramus, miramur eas ipsas urbes quae aut ad mare aut ad magnas vias sitae mercatura florebant maxime nominari, ut Ephesum, Smyrnam, Sardis. unde statuendum est nomen Ὁμόνοια ad societatem urbium pertinere quae inita esse videtur imprimis mercaturae causa. singula de eiusmodi pactione[2]) nescimus. haec autem vis vocis Ὁμόνοια explicatur ex ea quam in inscriptionibus ultimorum a. Chr. n. saeculorum ostendimus (cf. p. 45). mos ille Ὁμονοίας cum aliis urbibus ineundae aetate Augusti, ut iam diximus, oritur,

---

1) hac in parte opusculi usus sum commentatione viri docti L. Weber, qui Hierapolis urbis Phrygiae nummos qui Ὁμόνοιαν exhibent collegit (Journ. internat. d'archéol. numismat. XIV (1912) p. 65 sqq.). aliarum urbium nummi huius generis per alias collectiones dispersi nondum omnes editi sunt.

2) L. Weber l. c. p. 115. pactionem Ὁμονοίας a nullis urbibus nisi ab eis factam esse censet, quae titulum honorarium νεωκορίας haberent. neque negari potest inter haec duo instituta fuisse summas similitudines. cf. B. V. Head, Hist. num. (1911²) p. 84: Ὁμόνοια can signify little more than an entente cordiale.

e temporibus Tiberi, Caligulae, Claudi exempla afferri non possunt, sed a Nerone et per annos qui sequuntur magis magisque percrebrescit; aetate autem Gallieni subito evanescit [1]).

denique Ὁμόνοια est dea coniugii. Mileti quidem sponsus sponsam ad templum Ὁμονοίας accipere solebat, ut Chariton (erot. III 2, 16) narrat: μία δὲ πάντων ἦν ἐπιθυμία Καλιρρόην θεάσασθαι, καὶ περὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ὁμονοίας ἠθροίσθη τὸ πλῆθος, ὅπου πάτριον ἦν τοῖς γαμοῦσι τὰς νύμφας παραλαμβάνειν (v. L. Deubner l. c.).

unde explicari mihi videtur Ὁμόνοιαν etiam nomen feminarum fuisse. quod in nonnullis titulis sepulcralibus legimus. cf. I. G. III 2, 2774:

Ὁμόνοια
Δημητρίου
Μιλησία.

similiter I. G. III 2, 2239; XIV 302; 1892.

saepissime nomen Ὁμόνοια in nummis imperatorum invenimus. quorum plerique in parte adversa imaginem imperatoris et in parte aversa deam Ὁμόνοιαν praebent, alii stantem, alii sedentem et cornu copiae manu tenentem [2]). haec Ὁμόνοια ad pacem imperii aut ad concordiam familiae imperatorum pertinet. confusa autem est cum hac dea Latina quae vocatur Concordia [3]). quatenus vis Concordiae ad Ὁμόνοιαν translata sit, adhuc nondum diiudicatum est. ad quas difficultates tollendas ampliore quaestione opus est. certe etiam Ὁμόνοια στρατιᾶς [4]) Concordiae exercituum respondet et Ὁμόνοια Σεβαστή [5]) ad Concordiam Augustam referenda est. saepius Ὁμόνοια

1) cf. L. Weber l. c.

2) cf. Catal. of Greek coins. Alex. p. 378.

3) cf. G. Wissowa, Rel. u. Kult. d. Röm.² p. 329 sq.

4) cf. Roscher l. c. I 2706.

5) cf. Imhoof-Blumer, Griech. Münz. Abh. Bayr. Akad. XVIII (1890) p. 603 sqq.

et Εἰρήνη aetate imperatorum inter se coniunctae sunt [1]). in compluribus quidem nummis Traiani [2]) Ὁμόνοιαν duplex cornu copiae tenentem, dextram dextrae Irenes quae spicas tenet iungentem videmus.

V.

Paucis locis verbum ὁμονοεῖν nihil valet nisi consentire. quam significationem Isocrates voci ὁμονοεῖν attribuit orat. IX 53: πρῶτον μὲν γὰρ οὐκ ἔφθασαν ἀλλήλοις πλησιάσαντες καὶ περὶ πλείονος ἐποιήσαντο σφᾶς αὐτοὺς ἢ τοὺς πρότερον οἰκείους ὄντας (sc. Conon et Euagoras). ἔπειτα περί τε τῶν ἄλλων ὁμονοοῦντες ἅπαντα τὸν χρόνον διετέλεσαν καὶ περὶ τῆς ἡμετέρας πόλεως τὴν αὐτὴν γνώμην εἶχον. similiter Is. X 22; XII 272. Xen., Cyri inst. IV 2, 47; Oec. XVII 3.

de Platonis usu vocis ὁμονοεῖν paulo diligentius disseramus. Platonem vocem ὁμόνοια ad concordiam civitatis referre supra diximus (cf. p. 29²). ad complures autem civitates coniungendas non pertinet ὁμόνοια apud Platonem. sed ubi Plato verbum ὁμονοεῖν de compluribus hominibus usurpat, nihil valet nisi idem sentire. cf. Men. 86 c: βούλει οὖν, ἐπειδὴ ὁμονοοῦμεν ὅτι ζητητέον περὶ οὗ μή τις οἶδεν, ἐπιχειρήσωμεν κοινῇ ζητεῖν τί ποτ' ἐστὶν ἀρετή. similiter Polit. 260 b. atque de singulis hominibus Plato ὁμόνοιαν intellegit hominis cum se ipso consensum. in anima hominis multa esse dicit contraria. Resp. 603 d: ἐν γὰρ τοῖς ἄνω λόγοις ἱκανῶς πάντα ταῦτα διωμολογησάμεθα, ὅτι μυρίων τοιούτων ἐναντιωμάτων ἅμα γι-

---

1) Dio Chrysostomus in orationibus quibus monet, ut cives pacem et concordiam servent, voces ὁμόνοια et εἰρήνη vocibus στάσις et πόλεμος opponit. cf. or. XXXVIII 472; XXXIX 483; XL 493.

2) cf. Catal. of Gr. coins. Alex. nr. 428—434. similem imaginem praebet nummus quidam aetatis Antonini Pii. l. c. nr. 961. cf. etiam R.-E. (P.-W.) s. v. „Eirene“ (Waser) V 2, 2134. Dittenb. or. Gr. inscr. sel. II 663.

γνομένων ἡ ψυχὴ γέμει ἡμῶν. quae inter se conciliare homines debent. hanc igitur omnium animae partium harmoniam nominat ὁμόνοιαν. Resp. 554 d: ὁμονοητικῆς δὲ καὶ ἡρμοσμένης τῆς ψυχῆς ἀληθὴς ἀρετὴ πόρρω ποι ἐκφεύγοι ἂν αὐτόν. similiter Resp. 352 a. 603 c. Phaedr. 237 e. Ps.-Plat. Definit. 411.

Aristoteles in doctrina philosophica vocem ὁμόνοια a voce ὁμοδοξία (Eth. Nic. 1167 a, 22) distinguit similiter atque Ps.-Plato Clit. 409 e (τὴν δὲ ὁμόνοιαν ἐρωτώμενος εἰ ὁμοδοξίαν εἶναι λέγοι ἢ ἐπιστήμην, τὴν μὲν ὁμοδοξίαν ἠτίμαζεν) et determinat Eth. Nic. 1167 b, 2 sq.: πολιτικὴ δὴ φιλία φαίνεται ἡ ὁμόνοια. eandem definitionem praebent Eth. Eud. 1241 a, 32 sq., similem Magn. Mor. 1212 a, 14. ὁμόνοιαν Aristoteles quoque opponit στάσει. cf. Eth. Nic. 1155 a, 25 sq. ὁμόνοιαν minus in sententiis quam in actione positam esse dicit: πρῶτον γὰρ οὐκ ἔστιν ἡ ὁμόνοια ἐν τοῖς νοητικοῖς ἀλλ' ἐν τοῖς πρακτοῖς. Magn. Mor. 1212 a, 18. cf. Eth. Nic. 1155 a, 24 sqq. Eth. Eud. 1241 a, 15 sqq. secundum definitionem suam Aristoteles voces ὁμόνοια similesque exhibet Polit. 1306 a, 9 sqq. et 1330 a, 16 sqq.

VI.

Excursus.

Antiphontem sophistam libro περὶ ὁμονοίας scripto de concordia civium egisse p. 15 contendimus. quam opinionem hoc loco explicemus atque probemus.

ac primum quidem non repugnat quod vox ὁμόνοια ipsa in fragmentis quae nunc habemus non invenitur. quod facile intellegimus, si consideramus eos qui sophistae librum excerpserunt nihil spectasse nisi sententias splendidas[1]), quibus sermo ornatus erat. genus enim elocutionis simile esse poetico ex fragmentis iam cognoscimus. quod grammatici veteres laude efferunt. Phi-

1) cf. E. Jacoby l. c. p. 9.

lostratus (vit. soph. I 15, 4) quidem dicit: σοφιστικώτατος (-ώτερος codd. corr. H. Sauppe) δὲ ὁ Ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας (sc. λόγος), ἐν ᾧ γνωμολογίαι τε λαμπραὶ καὶ φιλόσοφοι σεμνή τε ἀπαγγελία καί ἐπηνθισμένη ποιητικοῖς ὀνόμασι καὶ τὰ ἀποτάδην ἑρμηνευόμενα παραπλήσια τῶν πεδίων τοῖς λείοις.

deinde frg. 51 D. sine dubio ad concordiam civilem referendum est. qua de causa Altweggio qui negat haec verba ad rem publicam pertinere, hoc fragmentum magnas difficultates movet, et interpretatio eius nimia arte facta est („ἀναρχία = animi affectuum voluptatumque effrenata illa licentia quam coercendam compescendamque putabat ratione“), quin falsam etiam eam esse demonstrari potest. Altweggius (l. c. p. 76) ipse concedit haec verba ἀναρχίας δ' οὐδὲν κάκιον ἀνθρώποις ex Antigona Sophoclea (v. 672: ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν) sumpta esse. neque dubium est quin hoc loco verba Creontis ad rei publicae concordiam pertineant. neque aliter quicumque vir Atheniensis, quippe qui illam fabulam Sophocleam memoria retinuerit — praesertim si cum Altweggio libellum circa a. 438 ponamus i. e. paucis annis post Antigonam actam — ubicumque audivit, intellexerit. unde fieri non poterat, ut his verbis Antiphon aliam vim tribueret.

tertium Altweggius, quo consilio sophista fabulam Aesopeam [1]) interponeret, non recte intellexisse mihi videtur. argumentum fabulae est hoc. operarius quidam thesaurum, quem avarus quidam in agro condidit, clam effodit et divitem qui amissa pecunia aegre fert consolatur, cum ostendit divitem re vera divitias non possedisse, cum fructum ex eis non caperet. E. Jacoby (l. c. p. 13) recte explicat, qua ratione Antiphon fabulam Aesopeam immutaverit. Antiphon enim fabulam am-

1) cf. Fabul. Aesop. (rec. Halm) 412. 412 b.

plificavit altera persona introducta — ea quidem condicione, ut fabula Aesopea ante Antiphontis aetatem orta sit — quae divitem hominem rogat, ut pecuniam mutuam det. fabula ita aucta Antiphon docere volebat, qua ratione divitiis utendum esset recte: ad cives inter se coniungendos. quem eundem divitiarum usum commendat Democritus frg. 255 D. cf. supra p. 16.

quartum ex eo quod sophista agit de amicitia (frg. 62—65 D.) apparet communem civium vitam spectari. vitae singulorum — ita argumentatur Antiphon — vix dignae sunt quae degantur. in societate demum hominum vita valet. cf. U. de Wilamowitz, Arist. u. Ath. I p. 173.

quintum quid sophista agit, cum mythicas illas nationes inducit? (frg. 45 D. sqq.). Altweggius scribit (l. c. p. 55): „fragmento illo 48 advocato ita disputationem institutam fuisse putaverim, ut Antiphon vitam humanam perstringens omnes homines qui dei simillimos se esse perhiberent, miserrime vivere dedoceret, et qui monstruosum haberent corpus subque terra vitam degerent, et reliquos Graecorum barbarorumve ritu et formatos et viventes“.

huic opinioni accedere non possum. nam mos scriptorum Graecorum erat, ut eas nationes, quae ad extremum orbem terrarum habitare dicebantur, moribus institutisque perfectissimas celebrarent. itaque Homerus N 3—6 populos qui regiones septentrionales colunt, laudat, quod iustissimi sint, cum nationes quae propius poetae patriam sint, in atrocibus bellis inter se commissis perseverent. N 3—6:

αὐτὸς (sc. Ζεὺς) δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ,
νόσφιν ἐφ᾽ ἱπποπόλων Θρῃκῶν καθορώμενος αἶαν
Μυσῶν τ᾽ ἀγχεμάχων καὶ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν
γλακτοφάγων Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

quo ex loco posteriores scriptores laudes illarum nationum hausisse probare studet Alexander Riese[1]). velut Aeschylus (Eumen. 696 sqq.) et Ephorus (ap. Strab. VII 302) Scythas praedicant; ex Ephoro descriptionem Galactophagorum sumpsisse Nicolaum Damascenum[2]) verisimile est (cf. F. H. G. III 123 M. et 142); Herodotus (IV 104) Agathyrsorum concordiam, Plato (legg. III 678 e sqq.) antiquissima hominum tempora laudibus effert[3]).

atque tales gentes antiquissimorum temporum, Sciapodes — in quo populo mythico Socratem versari Aristophanes Av. 1553 sqq. fingit —, macrocephali, subterranei homines, in fragmentis etiam Antiphonteis nominantur. nonne Antiphontem ad eum finem illas gentes introduxisse conicere licet, ut opinionem suam illustraret atque exemplis comprobaret? quae cum consideremus, F. Duemmler[4]) recte statuere videtur hoc: e numero populorum mythicorum, quorum instituta scriptores laudibus efferre solebant, nonnullos Antiphon in libro περὶ ὁμονοίας scripto attulit, ut exemplis demonstraret doctrinam de civium societate suam comprobari posse usu. neque vero sophista postulat — qua in re E. Jacoby (l. c. p. 29) Duemmleri opinionem falso interpretari mihi videtur —, ut cives ad eam vitam, quam subterranei degant, redeant. sed monet, ut eadem inter se societate

1) Die Idealisierung der Nordvölker in der griech. u. röm. Literatur. Progr. Frankf. a/M. 1875. p. 8 sqq.

2) cf. E. Reimann, quo ex fonte fluxerit Nicolai Damasceni παραδόξων ἐθῶν συναγωγή. Philol. 54 p. 654 sqq., imprimis 684 sqq.

3) cf. etiam R. de Pöhlmann (l. c. p. 113): „Hier (d. h. bei den sogenannten Naturvölkern) sah man demgemäß auch in den sozialen Gemeinschaften, welche den Charakter dieses primitiven Völkerlebens beherrschten, in Familien, Sippen, Stämmen noch ein außerordentlich starkes Gemeinschaftsgefühl lebendig ....“

4) Proleg. z. Plat. Staat. p. 46. cui assentitur R. de Pöhlmann l. c. p. 113 adnot. 1.

et communitate atque illi barbari utantur, quippe quae in communi utilitate positae sint. quod ipsum potissimum Antiphon cives docere conatur; hanc de re publica rationem secutus est.

nam rebus politicis studuisse Antiphontem probatur e Xenophontis Mem. I 6, 15: καὶ πάλιν ποτὲ τοῦ Ἀντιφῶντος (sc. τοῦ σοφιστοῦ cf. I 6, 1) ἐρομένου αὐτὸν (sc. Σωκράτη), πῶς ἄλλους μὲν ἡγοῖτο πολιτικοὺς ποιεῖν, αὐτὸς δὲ οὐ πράττοι τὰ πολιτικά, εἴπερ ἐπίσταιτο, ποτέρως δ' ἄν, ἔφη, ὦ Ἀντιφῶν, μᾶλλον τὰ πολιτικὰ πράττοιμι, εἰ μόνος αὐτὰ πράττοιμι, ἢ εἰ ἐπιμελοίμην τοῦ ὡς πλείστους ἱκανοὺς εἶναι πράττειν αὐτά; Antiphon igitur Socratem ironice (cf. εἴπερ ἐπίσταιτο) interrogat, quomodo alios politicis praeceptis imbuere possit, cum ipse a re publica recedat. fieri autem non potest, ut sophista Socrati id obiciat, si in ipsum idem recidat. ergo Antiphon foro non caruit. cuius studii vestigia in scriptis eius indagari posse consentaneum est. inter libros autem qui nobis traditi sunt, is qui περὶ ἀληθείας inscribitur in censum venire nequit, quippe quo Antiphon de natura rerum disseruerit.

libellum autem qui πολιτικός dicitur U. de Wilamowitz[1]) a sophista abiudicavit et rhetori attribuit — ei assentitur F. Susemihl[2]) — cum hoc scriptum idem esse coniecerit atque quod λοιδορίαι Ἀλκιβιάδου (Ath. XII 525 b) nominatur. quocum consentit Dielesius[3]), quamquam Politicum sophistae tribuens in veterum grammaticorum auctoritate acquiescit. quam sagacem Wilamowitzii coniecturam F. Blass[4]) verbis satis paucis refutare non potuit; mihi quidem fundamento quodam fidei carere nequaquam videtur. praeter ea fragmenta

---

1) Herm. XI p. 295—298 et Arist. u. Ath. I 174, adn. 77.

2) Gorgias u. d. att. Prosa. N. Jbb. 1877. p. 798[39].

3) Vors. II[3] 291, 15.

4) Att. Bereds. I[2] 113 et De Antiph. soph. Iamblichi auctore. Progr. Kiel. 1889. p. 4.

quae U. de Wilamowitz ad opinionem suam probandam affert, alia quoque quae traduntur (frg. 72. 77. D.) in conexum sententiarum quem Wilamowitzius coniecit quadrant.

at librum περὶ ὁμονοίας qui inscribitur ad rerum statum in quo tum Athenienses versarentur, pertinuisse optimo iure statuamus. ut vero Antiphon in libro qui πολιτικός vocatur doctrinam de rei publicae ratione suam proferret, ut Blassius (l. c. p. 113) contendit, tamen actio forensis non esset. sed ex eo quod Xenophon l. c. narrat, meo quidem iudicio statuendum est Antiphontem sophistam ad rem publicam ipsam aliquid contulisse. quae difficultas tollitur, si nobis persuasum est libello περὶ ὁμονοίας qui inscribitur Antiphontem cives admonuisse, ut ipsorum utilitatis causa concordes inter se essent.

Vita.

Natus sum Hans Kramer Borussus kalendis Quintilibus a. 1891 in vico Hassico cui nomen est Rengshausen patre Augusto matre Carolina e gente Dreyer, quibus superstitibus valde gaudeo. fidei addictus sum evangelicae. primis litterarum elementis imbutus inde a vere 1902 usque ad ver 1910 Lyceum Fridericianum Cassellanum frequentavi. maturitatis testimonio instructus vere 1910 Munichiam me contuli, ut in Academia Ludovico-Maximilianea studiis philologicis et historicis operam darem. vere autem 1911 in numerum civium Academicorum Georgiae-Augustae receptus sum, ut in studiis linguarum veterum et historiae usque ad hoc tempus versarer. militiam pro patria ut facerem non plus duos fere menses a. 1914 ob malam corporis valetudinem mihi contigisse vehementer doleo.

docuerunt me viri illustrissimi de Bissing, Burger, Crusius, Drerup, S. Hellmann, Jacobsohn, Jansen †, Kutscher, v. d. Leyen, Otto, de Pöhlmann †, Simonsfeld, Voll, Vollmer, Weyman Monacenses; Baumann, Bousset, Brandi, Busolt, Husserl, Körte, M. Lehmann, Leo †, H. Maier, G. E. Müller, K. Müller, Pohlenz, Schröder, H. Schultz †, Stein, Titius, Wackernagel, Wendland, Willrich.

proseminarii philologici Monacensis per bis sex menses, Gottingensis per sex menses, seminarii philologici Gottingensis II per sex menses, I per ter sex menses sodalis fui. quod tum Leone praematura morte erepto, Pohlenzio, Wendlando moderantibus floruit. praeterea ut exercitatiônibus historicis, linguisticis, archaeologicis, palaeographicis interessem, benigne me admiserunt Busolt, Hellmann, Stein, Wackernagel, Körte, Simonsfeld.

quibus omnibus viris doctissimis gratiam debeo, imprimis G. Busolt et M. Pohlenz, quorum ex consiliis in hac dissertatione componenda magnum fructum cepi. maximam autem gratiam semper habebo P. Wendlando qui cum omnibus studiis philologicis meis favit tum ad hanc dissertationem me incitavit et in perficienda benigne me adiuvit.